A. Lot 6
1643.

A. lat. a. 859
1683

( Propertius)

Huschke

Digitized by Google

A. lat. a.
1683

Digitized by Google

# EPISTOLA CRITICA

IN

# PROPERTIUM

AD

VIRUM ERUDITISSIMUM

LAURENTIUM VAN SANTEN.

---

ACCEDUNT NONNULLA

IN

## CATULLUM ET TIBULLUM

AUCTORE

IMMAN. GOTTLIEB HUSCHKE.

---

*AMSTELODAMI,*

Apud PETRUM DEN HENGST,

MDCCXCII.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

*Permittere habenas* eſt apud Tibull. IV, I, 92.

*Aut quis equum celerem arctato compeſcere fraeno*
*Poſſit, & effuſas tardo* permittere habenas.

Seneca Hipp. vs. 1006. *habenis permiſſis lora quatit.* Hinc Liv. II, c. 56. *contraque omnium opinionem, qui eum vexandis prioris anni conſulibus* permiſſurum tribunatum *credebant*, h. e. tribunicia poteſtate libere & ferociter uſurum. Locutio, ut recte ibi monet *Stroth*, ab iis ducta, qui equo *frena* laxant, atque ſic libero curſu ruere ſinunt, hoc enim dicitur, *permittere* equum. Sueton. Octav. 98. *Iisdem etiam epulum, in conſpectu ſuo, praebuit*, permiſſa, *immo exacta, jocandi* licentia, *diripiendique pomorum, & obſoniorum, rerumque miſſilium.* Quibus veterum ſcriptorum exemplis emendatio noſtra, priori ſpecimine jam propoſita, ſatis ſtabilitur. Perlecta deinde Biblioth. Crit P. III. p. 81 non ſine aliqua animi laetitia cognovi, me Tecum συμφιλολογεῖν, qui ibi ex eodem fonte petitam medicinam huic loco paraſti, legendo:

*Ipſe deus tacito permiſit* LORA *miniſtro,*
*Ederet ut multo libera verba mero.*

Utra regitur emendatio propius a literarum ductu abſit, ii dijudicent, quibus Codices Tibulli tractatis-

tare licet. Equidem, cum re ipſa mecum ſentias, de verbo contra Te diſputare nolo, ne adverſarii partes ſuſcepiſſe videar in epiſtola, quae ea mente ad Te ſcripta eſt, *ut conjunctionem ſtudiorum, amoriſque noſtri, quo poſſem literarum genere declararem.* Vale. Scripſi Amſtelodami menſe Aug. MDCCXCII.

Digitized by Google

# LAURENTIO VAN SANTEN,

## ERUDITISSIMO EIDEMQUE

## AMICISSIMO VIRO

## S. P. D.

## IMMAN. GOTTLIEB HUSCHKE.

Cum varia ſunt benevolentiae Tuae erga me documenta, tum hoc pergratum accidit, quod nuper mecum ineditas b. Fonteinii Obſervationes in Propertium communicaſti, & ita communicaſti, ut ſimul edendi mihi faceres poteſtatem. Quamquam enim parum otii mihi nunc datum eſt ad eas artes, quibus a pueris deditus fui, recolendas; tantum tamen nominis Fonteiniani apud me valuit celebritas, ut, quam diligentiſſime id fieri poſſet, hujus viri commentarios perſcrutarer, quem ſummo ſtudio in has literas incubuiſſe uno ore fatentur omnes, qui ejus familiaritate ſunt uſi. Neque ſane eſt, cur praejudicii mei me nunc poeniteat. Nam permulta Propertii loca a Fonteinio ita partim illuſtrata, partim emendata cognovi, ut ſaepius inter legendum poetae talem interpretem gratularer, nullamque moram interponendam putarem, quin Obſervationes iſtas publici



Digitized by Google

juris facerem. Ceterum accidit, ut ea re ſtudium Propertii paene refrigeratum in animo meo excitaretur, praeſertim cum Tua accederet hortatio, Eruditiſſime Santeni, qua facile me adduci paſſus ſum, ut, antequam Fonteiniana ederem, ſpecimen illud, quo aliquot Tibulli & Propertii loca cum graecis ſcriptoribus contuleram, retractarem, eique adderem, quas in promtu mihi eſſe cognoveras, emendationes. Neque, credo, verendum eſt, ne poſt Burmanni Editionem praeſtantiſſimam omnino inanis haec opera noſtra & plane inutilis eſſe videatur. Etenim licet doctiſſimus Interpres teſtudineo fere gradu in illuſtrando poeta noſtro procedat, omnesque ingenii & doctrinae copias, non modio nec trimodio ſed toto horreo, ut cum Plauto loquar, lectoribus admetiatur, magnam tamen locorum vim ſupereſſe haud ignoras, quae vel emendationem vel explicationem deſiderent. Quod non ita a me dictum putes, ac ſi ego honori & doctrinae Burmanni Secundi detractum velim, cui quantum Propertius & omnino hae literae, quas ab humanitate appellamus, debeant, ſatis inter viros doctos conſtat. Ea tamen eſt Propertii, et magno iſto literarum naufragio vix ſervati conditio, ut multorum medicorum opem implorare videatur. —

—— —— *monſtrum nulla virtute redemptum*
*A vitiis.* ——

Accedit, quod ſcribendi genus, plane illud ad graecam

cam linguam attemperatam, a vulgari loquendi consuetudine ita interdum recedit, ut nisi fontes ab eo degustatos animadverteris, corrupta saepius putes, quae sana sunt, & nullo modo sollicitanda. Nam in iis latinitatis Auctoribus, qui inprimis a Graecorum exemplo pendent, unanimi virorum doctorum consensu, & suo ipsius testimonio habetur Propertius. Qui cum Callimachi & Philetae maximam partem deperdita carmina sit secutus, mirum videri possit, quid sit, quod ego, in comparandis aliis Graecorum carminibus operam collocandam duxerim. At haec perfacilis est & perexpedita defensio! Quae enim a poetis istis Alexandrinis mutuatum se esse Propertius fatetur, ea ad universum dicendi genus, totamque Elegiae oeconomiam spectare mihi videntur. Neque aliter intelligi posse puto verba Eleg. I. Libr. III.

*Callimachi manes et Coi sacra Philetae*
*In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.*
*Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos*
*Itala per Grajos orgia ferre choros.*
*Dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro,*
*Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam?*

Atque hinc probabile est manasse in carmina Propertii nimiam istam doctrinae ostentationem, quam Alexandrinis poetis propriam fuisse cum aliunde constat, tum more suo docuit Heynius V. Ill. singulari libello,

*de Genio Sæculi Ptolemæorum*, quem Opuſculorum Academicorum volumini I inſerendum curavit. Dubitari tamen non poteſt, quin ſingula quoque horum poetarum loca ſubinde Noſter imitando expreſſerit. Ejusmodi exemplum ſuppeditat Callimachi Epigr. VIII. in Theaetetum:

Ἦλθε Θεαίτητος καθαρὴν ὁδόν. εἰ δ' ἐπὶ κισσὸν
Τὸν τεὸν οὐχ ἅυτη, Βάκχε, κέλευθος ἄγει·
Ἄλλων μὲν κήρυκες ἐπὶ βραχὺν οὖνομα καιρὸν
Φθέγξονται, κείνῳ δ' Ἑλλὰς ἀεὶ σοφίαν.

Auguratur nempe hoc Epigrammate Callimachus, Theaetetum, quamquam, propter judicum invidiam, non reportaverit in certamine poetarum victoriam, ſive Bacchi hederam, poſt obitum tamen laudem eſſe conſecuturum. Male autem explicant verba iſta; καθαρὴν ὁδόν, qui referunt ad vitae caſtitatem atque integritatem, ut interpres graecus, cum unice intelligenda ſit *via nulli trita*, *intacta* ab aliis poetis. Ita hunc locum interpretatus eſt Toupius Emend. in Suidam p. 565. Lips. ed. Cui interpretationi accedere videtur Propertius, qui, niſi omnia me fallunt, Epigramma illud ob oculos habuit Lib. III. I. 17-22.

*Sed, quod pace legas, opus hoc de monte ſororum*
*Detulit* intacta *pagina noſtra* via.
Mollia, *Pegaſides, veſtro date* ſerta *poetae:*
*Non faciet capiti dura corona meo.*

*At*

*At mihi, quod* vivo *detraxerit invida turba,*
Poſt obitum duplici foenore reddet honos.

En Tibi exemplum, Eruditiſſime Santeni, quod ſatis docet, quomodo aliena in uſus ſuos converterit Propertius. Nam, quantum equidem animadvertere potui, non ſerviliter ille aliorum loca expreſſit, ſed cum ingenio in hac re verſatus eſt, atque ita rem inſtituit, ut, quae ab eo tranſlata ſint, non irruiſſe in alienum locum, ſed immigraſſe in ſuum diceres. Atqui hoc illud eſt, in quo ſumma Imitationis laus cernitur, de qua ſaepe fuerunt, qui nimis invidioſe iudicarent. Egregie hanc rem nuper excuſſit acutiſſimus inter Germanos Philoſophus, Johann. Chriſtophorus Schwab, in Diſputatione, quae Academiae Scientiarum Berolinenſis A. MDCCLXXXIIX Praemium reportauit: *von dem Einfluſs der Nachahmung fremder Werke auf den Vaterlaendiſchen Geſchmack.* Quemadmodum vero Callimachi, ita quoque aliorum ſcriptorum loca ea Propertius arte carminibus ſuis paſſim adaptavit, ut non vi ſed precario veniſſe, & tamquam in vermiculato emblemate ſtructa videantur. Quo quidem pertinet inprimis Poſidippi epigramma, olim item a me cum his Propertii verſiculis Lib. II, 7, 71, comparatum:

*Nunc quoniam iſta tibi placuit ſententia, cedam,*
*Tela, precor, pueri, promite acuta magis.*

*Figite certantes, atque hanc mihi ſolvite vitam;*
*Sanguis erit vobis maxima palma meus.*

Ad quem locum Burmannus: „ per *pueros*, inquit, Paſſeratius intelligit Cupidines. Sed quid vetat, famulos vel ſervos indicari, ut *puer* eo ſenſu paſſim apud Catullum, Horatium, aliosque: quibus jubeat, ut ferro mortem ſibi inferant, quo & ipſam Cynthiam deinde conficiant?" Nimirum vetat Poſidippus, cuius epigramma (in Anal. Brunckii II. p. 46) hoc eſt:

Ναὶ, ναὶ, βάλλετ', Ἔρωτες, ἐγὼ σκοπὸς εἷς ἅμα πολλοῖς
Κεῖμαι, μὴ φείσησθ' ἄφρονες· ἢν γὰρ ἐμὲ
Νικήσητ', ὀνομαστοὶ ἐν ἀθανάτοισιν ἔσεσθε
Τοξόται, ὦ μεγάλης δεσπόται ἰοδόκης.

Habuiſſe autem ob oculos hoc Epigramma Propertium cum reliqua probant, tum lepida iſta Amorum inter ſe *certantium* imago, quis prior poetam figat, (ἐγὼ σκοπὸς εἷς ἅμα πολλοῖς κεῖμαι,) extra dubitationem ponit. Hanc tamen comparandi rationem, quam plurimum ad illuſtrandos poetas facere in confeſſo eſt, nimis lubricam & fallacem eſſe, praeſertim in ſcriptore, qui tam callide hac in re verſatus ſit, lubenter confiteor. At aliud eſt imitationis genus majori illud cum fiducia tractandum, quod ad ſingulas loquendi formas, verborumque graeco-

corum ſignificationes redit, in quibus adoptandis, ut inopiae linguae vernaculae ſuccurrerent, ſummum ſtudium latini poetae poſuerunt. Quod enim Cicero Lib. I, 3. de Finib. Bonor. & Malor. affirmat, Latinam linguam non modo non inopem, ſed locupletiorem etiam eſſe, quam Graecam, id rerum domeſticarum potius, quam veritatis amore ductus pronuntiaſſe videri debet. Omnibus fere poetis Latinis hoc propoſitum fuit, ut ad Graecorum exemplum poeticum aliquem ſermonem, a pedeſtri oratione plane diſcrepantem, conformarent; quo tamquam internodio adeo Latina lingua cum Graeca copulata eſt, ut jure ſuo Hemſterhuſius, quemadmodum a Ruhnkenio, digniſſimo ejus Laudatore, memoriae proditum eſt, interdum negaret, poetas eos, qui ſe totos ad Graecorum imitationem contuliſſent, nominatim Propertium & Horatium graece imperitis valde placere poſſe. Cujus generis animadverſiones aliquot in medium proferre liceat. Excurrit poeta in laudes puellae ſuae, ſibique omnia in ea placere affirmat Lib. II. 1. 5.

*Sive illam Cois fulgentem incedere* cogis
*Hoc totum e Coa veſte volumen erit;*
*Seu vidi ad frontem ſparſos errare capillos*
*Gaudet laudatis ire ſuperba comis.*
*Sive lyrae* carmen *digitis* percuſſit *eburnis*,
*Miramur faciles ut premat arte manus.*

Ita hic locus in omnibus fere Codd. legitur. Vs. 5. inveteratum aliquod ulcus latet, cui poſtea mederi conabor. Nunc agitur de loquendi formula paulo inſolentiori, *lyrae carmen digitis percutere*, quam ut loco ſuo moveret Burmannus, omnes machinas adhibuit. „ Eſſe quidem non negat τὸ *Percuſſit* in variis Codd. MSS. & in omnibus Editionibus, ſibi tamen praeferendum videri, quod Douſa Fl. conjecerit, *percurrit*, quia hoc exigant *faciles manus*, i. e. molles ac leves, quae mulceant potius & agilitate vaga percurrant lyram, quam percutiant." Largior! At non explicuit Burmannus, quid ſit, lyrae carmen digitis percurrere! Chordae digitis percurri recte dicuntur, carmen non item. Sed audiamus reliqua: „ In pleriſque veterum locis, a Broukhuſio ad ſtabiliendam lectionem *percuſſit* allatis, agi de graviori ſono, quo cithara pulſetur, feriatur, percutiatur, neque addi faciles manus. „ Hoc quidem parum ad rem noſtram facit. Nam licet graviori ſono lyram aliquis percutiat, tamen facili manu id efficere poteſt. Neque ſe de loco ſuo dejici patitur Burmannus a Broukhuſio, quamquam verſum Ovidii haud abſimilem teſtimonium dicere jubeat:

*Dum* ferit *Auſonia* carmina *culta lyra.*

Teſtem enim hunc corruptum a librariis, adeoque refutandum eſſe, judicat, niſi velit verba ita proferre:

*Dum* canit *Auſonia* carmina *culta lyra.*

Nec-

Necdum tamen perſanatus eſt Propertii verſus! Nam cum locutionis, *carmen digitis percurrere*, difficultatem ſentiret doctiſſimus Interpres, Heinſii emendatione admiſſa, locum ita legendum putabat:

*Sive lyrae ſtamen digitis percurrit eburnis.*

Neſcio, quid aliis de tota hac Burmanni diſputatione videatur. Mihi quidem neutiquam ſatisfecit, reputanti, locutionem *percutere lyrae carmen*, inſolentiorem quidem eſſe, ſed e graeco fonte ductam. Plane ita Graeci dicunt, κρέκειν, κροτεῖν, ἀράσσειν μέλος. Quod uberius nunc exponere aggrediar. Κρέκειν proprie eſt, pectine ſeu radio pulſare. Quare de inſtrumentis ἐγχόρδοις vel ἐντατοῖς inprimis dicitur. Theocrit. Epigr. V.

Λῆς ποτὶ τᾶν συμφᾶν διδύμοις ἀυλοῖσιν ἀείσαι
Ἀδύ τι μα; κἠγὼν πακτίδ' ἀειράμενος
Ἀξξεῦμαί τι κρέκειν.

De tibia tamen item Ariſtoph. Aves 682. dixit:

Ἀλλ', ὦ καλλιβόαν κρέκουσ'
Αὐλὸν φθέγμασιν ἡμετέροις,
Ἄρχου τῶν ἀναπαίστων.

Quem locum reſpexiſſe videtur Suidas v. κρέκουσα· ἀυλοῦσα· κυρίως δὲ κρέκειν, τὸ τὴν κιθάραν κρούειν·

Fortasse huc trahendus Lucret. IV, 187.

*Chordarumque sonos fieri*, dulcesque *querelas*
*Tibia quas fundit*, *digitis* pulsata *canentum*.

Hinc in Epigrammate Meleagri CXII (in Anal. Brunck. I. p. 32.) de locusta:

Ἀκρὶς, ἐμῶν ἀκάτημα πόθων, παραμύθιον ὕπνου,
Ἀκρὶς, ἀγρυπτέρυγε Μοῦσα, λιγυπτέρυγε,
Αὐτοφυὲς μίμημα λύρας, κρέκε μοι τὶ ποθεινὸν,
Ἐγκρούουσα φίλοις ποσσὶ λάλους πτέρυγας,
Ὡς με πόνων ῥύσαιο παναγρύπνοιο μερίμνης,
Ἀκρὶ, μιτωσαμένη φθόγγον ἐρωτοπλάγιον.....

Quamquam enim in hoc lusu Epigrammatographi iam ratio habita est alterius significationis, qua translatum verbum κρέκειν ad ipsam modulationem, plectri aut digitorum pulsamine effectam, *Sonare* valet, & fides κρέκουσι· (v. Heynii Additam. ad Pindar. p. 31. coll. Apoll. Rhod. IV, 1193.) primitiva tamen hujus vocabuli vis subest, adeo ut κρέκε μοι τὶ ποθεινὸν proprie vertendum sit: *percute* mihi aliquid alis tuis, quod suaviter sonet. Quare & κρέκειν μέλος omnino quidem valet, *cantum edere*, at potest etiam verti, *percutere cantum* s. *carmen*. Mnasalcas Epigr. X. Anal. Brunck. I. p. 199.

Οὐκέτι δὴ πτερύγεσσι λιγυφθόγγοισιν ἀείσεις,
Ἀκρὶ, κατ' ἰυκάρπους ἀυλακας ἑζομένα,

Οὐδ'

Οὐδ' ἐμὲ κεκλιμένον σκιερὴν ὑπὸ φυλλάδα τέγγεις,
Ξανθὴ ἐκ πτερύγων ἀδὺ κρέκουσα μέλος.

Jam cum toto Propertii loco comparanda sunt Epigrammata Meleagri de Zenophila (Anal. Brunck. I. p. 24, 25.) quorum unum saltem LXXXVIII ob oculos habuisse poetam latinum, fere est, ut credam. En ipsum carmen:

Ἀδὺ μέλος, ναὶ Παῖνα τὸν Ἀρκάδα, πηκτίδι μέλπεις,
Ζηνοφίλα, τι λίγει' ἀδὺ κρέκεις τι μέλος.
Ποῖ σε φύγω; πάντη με περιστείχουσιν Ἔρωτες,
Οὐδ' ὅσον ἀμπνεῦσαι βαιὸν ἐῶσι χρόνον.
Ἄ γάρ μοι μορφὰ βάλλει πόθον, ἢ πάλι μοῦσα,
Ἢ χάρις ἢ.... τί λέγω; πάντα. πυρὶ φλέγομαι.

Ex his a me disputatis satis patere arbitror, *percutere lyrae carmen* eodem modo dici posse, quo κρέκειν μέλος χέλυος, simulque rejiciendam esse conjecturam Heinsii, & Hemsterhusii, qui legendum putabant, adstipulante Burmanno:

*Sive* lyrâ *carmen digitis percussit eburnis.* —

Neque audiendus Passeratius, qui *lyrae carmen* interpretatur carmen lyricum, cum potius intelligenda sit, ipsius *lyrae* modulatio. Ita μέλισμα λύρας in Epigr. CXI. Meleagri vs. 4.

Αἰθίοπι κλάζεις χρωτὶ μέλισμα λύρας.

Prop.

Prop. I. III. 42.

*Rurſus et Orpheae carmine feſſa lyrae.*

& IV. VI, 32.

*Non ille attulerat crines in colla ſolutos*
*Aut teſtudineae carmen inerme lyrae.*

Ceterum κρέκειν quoque de textura dicitur, ut κρέκειν ἱστὸν, πέπλον. (Eurip. Elect. 542.) Nam haec res ſine pulſamine & ſtrepitu effici nequit. Quo alludere videtur Tibull. II, I, 61.

*Atque aliqua aſſidue textis operata Minervae*
*Cantat*, & applauſo tela ſonat *latere*.

Eadem eſt ratio verbi κροτεῖν, ut κροτητὰ πηκτίδων μέλη e deperdito Sophoclis dramate apud Athenaeum, I. IV. p. 175, allegat Spanhem. ad Callimach. p. 135, qui omnino conſulendus. Etiam ἀράσσειν, quod de citharae aut lyrae pulſu ſaepius occurrit e. g. Orph. Argon. 380. κιθάρην μετὰ χερσὶν ἀράσσων, de carmine uſurpavit Nonnus Dionys. I, ἐγὼ μέλος βροντᾶιον ἀράσσω, & paulo poſt. ἐπινίκιον ὕμνον ἀράσσω. Tranſlata quoque a fabrili arte verba, ut Pindarus dicitur in epigr.. Antip. Sidon. apud Brunck. Tom. II. p. 27, βαρὺς χαλκευτὰς ὕμνων. Sed haec obiter! Nam lectio, *percuſſit lyrae carmen*, verbi κρέκειν uſu ſatis ſuperque, ex mea quidem ſententia, con-



Digitized by Google

confirmatur. Vs. 5. plurimi Codd. consentiunt in *Cogis*. Nam *Totis*, quod Burmannus in textum recepit, ex emendatione Broukhusii est. „ Hanc tamen & caeteras omnes conjecturas, verbi defectus evertit. Unde enim, quaeso, pendet infinitivus *incedere*? Respondebit aliquis, a *vidi*. V. 7.

*Seu* vidi *ad frontem sparsos errare capillos.*

Audirem, nisi vetaret perspicue loquendi consuetudo. Nam cum versus,

*Hoc totum e Coa veste volumen erit,*

interponatur, nemo, licet omnes adhibeat machinas, efficiet, ut haec,

*Sive illam Cois fulgentem* incedere,

suspendantur a, *vidi*, verbo longe remoto." Ita recte, si quid video, contra Broukhusii aliorumque conjecturas disputavit Schrader. Emendat. c VI. p. 113. qui praefert lectionem, quam alii Codices efferunt:

*Sive illam Cois fulgentem incedere* vidi.

At haec repetitio verbi *vidi*, quod v. 7. recurrit, nescio quid ingrati habet, neque apparet, quomodo illud cum *Cogis* permutari potuerit. Lego:

*Sive illam Cois fulgentem incedere* NOVI,
*Hoc totum e Coa veste volumen erit,*

Seu

*Seu vidi ad frontem ſparſos errare capillos,*
*Gaudet laudatis ire ſuperba comis.*

*Noſcere* pro *cognoſcere*, *videre*, alibi quoque dixit Propert. e. g. I. VI. 1. *Non ego nunc Hadriae vereor mare* noſcere *tecum.* Claudian. XXIV. 42, *quod noverit omnia Phoebus*, ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει. v. Gesn. Illud *Novi* fortaſſe in margine illuſtratum fuit verbo *Cognovi*, quod per compendium ſcriptum, anſam praebere potuit vitioſae lectioni *Cogis*. Coa abſolute dicta Ovid. A. Lib. II, 297.

*Sive erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus,*
*Sive erit in Cois, Coa decere puta.*

Egregius eſt Propertii locus de Briſeidos luctu, Achille mortuo II, 7, 47.

*Nec non exanimum amplectens Briſeis Achillen,*
*Candida veſana verberat ora manu,*
*Et dominum lavit moerens captiva cruentum,*
*Appoſitum flavis in Simoenta vadis.*
Foedavitque comas, *& tanti corpus Achillei,*
*Maximaque in parva ſuſtulit oſſa manu.*

Quibus verbis maximam ineſſe & ſuavitatem & perſpicuitatem lentis, Vir Eruditiſſime; neque ego quemquam alium difficultatis aliquid hic reperire poſſe, niſi fortaſſe in illis, *Foedavitque comas*, putaverim, quae

quae cum ab usitato loquendi more paululum abhorreant, praeferendam ducit Burmannus lectionem quorundam Codd. *Siccavitque comas*, quam equidem manifestam librariorum interpolationem judico. Ignorantia enim graecae linguae illis imposuit, eaque se adduci passi sunt, ut faciliorem lectionem difficiliori, quod alibi quoque factum esse constat, substituerent. Propertius exprimere voluit verbi graeci ἀισχύνειν significationem, quod de comis lugentium more evulsis, sive etiam pulvere adspersis subinde usurpatur. Ita Achilles, nuntio de Patrocli morte allato, apud Homerum. XVIII, 27.

Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν
Χεύατο κὰκ κεφαλῆς, χαρίεν δ' ἤσχυνε πρόσωπον·
Νεκταρέῳ δὲ χιτῶνι μέλαιν' ἀμφίζανε τέφρη·
Αὐτὸς δ' ἐν κονίῃσι μεγας μεγαλωστὶ τανυσθεὶς
Κεῖτο, φίλῃσι δὲ χερσὶ κόμην ἤσχυνε δαίζων·

Et fortasse hunc ipsum locum, cum hanc Elegiam scribebat, in animo habuit Propertius. Etenim imitationis vestigia deprehendisse mihi videor etiam v. 21,

*Viderat informem multa Patroclon arena*
Porrectum, *& sparsas caede jacere comas.*

Ubi lectio codicis Vossiani, *Projectum*, recte a Burmanno rejicitur. Porrectus longa arena jacebat informis Patroclus, ut apud Homerum Achilles ἐν κονίῃσι μέγας

μέγας μεγαλωστὶ τανυσθεὶς κεῖτο. Atque ita comparatione diligenter inſtituta ſaepenumero alterutri ſcriptori & lux & medela adferri poteſt, praeſertim iis in locis, quibus eadem res pertractatur. Exemplo ſit locus Theocriti Idyll. XIII, 40, quem Propertius de induſtria exprimere voluiſſe videtur I, 20, 35 — 37. Quamquam enim in enarrando Hylae raptu varios ſcriptores ſecutus eſt poeta latinus, dubitari tamen nequit, quin deſcriptio Fontis ab Hyla detecti v. 35,

*Quem ſupra nulli pendebant debita curae*
*Roſcida deſertis poma ſub arboribus,*
*Et circum irriguo ſurgebant lilia prato*
*Candida purpureis miſta papaveribus,*

derivata ſit e Theocriti loco citato, in quo mendum aliquod latere omnes fateantur neceſſe eſt. Verba, ut vulgo leguntur, haec ſunt:

Κὤχεθ' Ὕλας ὁ ξανθὸς ὕδωρ ἐπιδόρπιον ἀισῶν
Αὐτῷ θ' Ἡρακλῆϊ καὶ ἀστεμφεῖ Τελαμῶνι,
Οἵ μιαν ἄμφω ἑταῖροι ἀεὶ δαίνυντο τραπέζαν,
Χάλκεον ἄγγος ἔχων. τάχα δὲ κρήνην ἐνόησεν
Εἱμένῳ ἐν χόρτῳ· περὶ δὲ θρία πολλὰ πεφύκει,
Κύανέόν τε χελιδόνιον, χλοερόν τ' ἀδίαντον,
Καὶ θάλλοντα σέλινα, καὶ εἰλιτενὴς ἄγρωστις.

Pro iſtis verbis εἱμένῳ ἐν χόρτῳ alii habent codices

ἡμένῳ

ἡμένῳ ἐν χόρῳ aut χώρῳ, nullo, si recte judico, sensu. Neque rem expedierunt Interpretes. Equidem perpensis his Propertii verbis,

*Et circum* irriguo *surgebant lilia* prato,

in eam adductus sum sententiam, ut putarem, periisse in Theocrito verbum, quod responderet *irriguo prato* carminis latini, idque esse mihi persuasi ἐιαμενὴ. Qua conjectura fretus locum ita emendavi:

—— —— Τάχα δὲ κεάναν ἐνόησεν
ἐιαμενῆς χόρτῳ.

Praepositio ἐν commode abesse potest. Idem orationis color est e. g. in his verbis Homeri Iliad. XVIII, 438. τὸν μὲν ἐγὼ θρέψασα, φυτὸν ὣς γουνῷ ἀλωῆς. De verbo ἐιαμενὴ v. Iliad. IV, 481. Apoll. Rhod. IV. 316. ἐιαμενῆσι δ' ἐν ἄσπετα πώεα λεῖπον ποιμένες ἄγραυλοι — Ac fuit etiam, cum legendum putarem: λειμῶν' ἐν νοτέρῳ. Theocritus l. c. vers. 33.

Λειμὼν γάρ σφιν ἔκειτο μέγας, τριβάδεσσιν ὄνειαρ.

Suidas v. ἐρύθημα haec habet: ἄνθος προσώπῳ ἐπιφυόμενον, οἷον οὐδὲ εἰς λειμῶν νότερος τε, καὶ ἁβρὸς καὶ εὐθαλὴς τεκεῖν ὑπὸ δρόσῳ ἑαυτῇ οἶδεν. v. Toupii Emendat. in Suidam P. I p. 9. Edit. Lipsi. Homer. Odyss. V. 70—72. de fonte:

Ἀμφὶ δὲ λειμῶνες μαλακοὶ ἴου, ἠδὲ σελίνου
Θήλεον —— ——

Similem fontis descriptionem dedit Theocrit. in Dioscur. v 37.

Εὗρον ἀένναον κραάναν ὑπὸ λισσάδι πέτρῃ
Ὕδατι πεπλησθῆναι ἀκηράτῳ, ἀὶ δ' ὑπένερθε
Λάλλαι κρυσταλλῳ ἠδ' ἀργύρῳ ἰνδάλλοντο
Ἐκ βυθοῦ. ὑψηλαὶ δὲ πεφύκεσαν ἀγχόθι πεῦκαι,
Λεῦκαί τε, πλάτανοί τε, καὶ ἀκρόκομοι κυπάρισσοι,
Ἀνθεά τ' ἐυώδη, λασίαις φίλα ἔργα μελίσσαις,
Ὅσσ' ἔαρος λήγοντος ἐπιβρύει ἄν λειμῶνας.

Hi versiculi in mentem revocant alium Theocriti locum, gravissimo item vitio laborantem, cui tamen praesentem me adferre posse medicinam, est quod laeter. Idyll. XVIII, 29.

Πιέρᾳ μεγάλα ἅτ' ἀνέδραμε κόσμος ἀρούρᾳ,
Ἢ κάπῳ κυπάρισσος, ἢ ἅρματι Θεσσαλὸς ἵππος.
Ὧδε καὶ ἁ ροδόχρως Ἑλένα Λακεδαίμονι κόσμος.

Versus 29. Interpretes mirum in modum exercuit. Brunckius. V. D in hac lectione acquiescendum, locumque ita explicandum putat; Anal. T. III. p. 80. „Ordo est: ἅτε μεγάλα κυπάρισσος ἀνέδραμε, κόσμος πιέρᾳ ἀρούρᾳ, ἢ κάπῳ, ἢ — quis non malit me-

μεγάλα jungi ἐπιθετικῶς ſubſtantivo κυπάρισσος, quam cum ἀρούρᾳ conſtrui, addendo copulam τε, quae ab omnibus libris, tam ſcriptis, quam typis expreſſis, abeſt? Saltem ſcribendum fuerat μεγάλα θ' ἅτ' &c" Recte vir eruditiſſimus pro ſumma, quae in eo eſt, linguae graecae peritia judicavit, duo Adjectiva ad idem ſubjectum tanto intervallo relata, ferri non poſſe. Neque tamen placet altera ratio, qua μεγάλα ſubſtantivo κυπάρισσος, toto fere verſu interpoſito, jungitur. Quare aliud verbum circumſpiciendum eſt, quocum melius hoc epitheton conſtrui poſſit. Id autem latere mihi perſuadeo in voce πιέρᾳ, quae mirum in modum h l. languet. Audacter repono:

Αἰγείρος μεγάλα ἅτ' ἀνέδραμε κόσμος ἀρούρᾳ —

Quamquam ejusmodi in rebus ultra id, quod probabile eſt, progredi non licet, hanc tamen emendationem certiſſimam duco. Qua quidem admiſſa, tres illi Theocriti verſus admirabili concentu inter ſe conſpirant, ſingulaque verba habent, quo referantur. Quemadmodum Populus alta telluri, ita Cupreſſus horto, & equus Theſſalicus currui ornamento eſt. Alias cum *myrto* puellae comparantur. Catull. LXI, 16.

*Namque Julia Manlio,*
*Qualis Idalium colens*

*Venit ad Phrygium Venus*
*Judicem, bona cum bona*
*Nubit alite virgo:*

*Floridis velut enitens*
Myrtus *Asia ramulis,*
*Quos Hamadryades Deae*
*Ludicrum sibi roscido*
*Nutriunt humore.*

Nunc redeat, unde deflexit, oratio! Ejusdem Elegiae, qua raptus Hylae a Propertio enarratur, versum 13, seq.

*Ne tibi sit duros* montes *& torrida saxa,*
*Galle, neque expertos semper adire lacus.*
*Quae miser ignotis error perpessus in oris*
*Herculis, indomito fleverat Ascanio,*

composuit Burmannus cum his Theocriti verbis: (in Hyla v. 64.)

Ἡρακλέης τοιοῦτος ἐν ἀτρίπτοισιν ἀκάνθαις
Παῖδα ποθῶν δεδόνατο, πολὺν δ' ἐπελάμβανε χῶρον.
Σχέτλιοι οἱ φιλέοντες! ἀλώμενος ὅσσ' ἐμόγησεν
Ὤρεα καὶ δρυμώς.

Quo de loco agit Mitscherlich. V. D. in Annot. in Homeri Hymnum in Cererem p. 109. ubi emendare co-

conatur: ἁλώμενος o. e. Ἂν ῥία καί δρυμώς, pro ὤρεα. Postea tentat: ἐπέρησεν pro ἐμόγησεν. Neutrum placet! Μογεῖν h. l. est. μόγις, σὺν μόχθῳ διέρχεσθαι ὅδη, quomodo ipse explicat. Plane ita Latini dicunt, *fatigare*, quod proprie est *fatim agere*, valde, crebro, movere, tractare, agitare rem, adeoque omnino in re aliqua versari, vel eam frequentare. v. Heyn. ad Virgil. Aeneid: VIII. 94. *Olli remigio noctemque diemque* fatigant. Inprimis IX. 605.

*Venatu invigilant pueri*, silvasque fatigant. Simili modo μοχθεῖν dictum Bion. I. 73.

κάτθεό νιν μαλακοῖς ἐνὶ φάρεσιν οἷς ἐνίαυεν,
τοῖς μετὰ σεῦ ἀνὰ νύκτα τὸν ἱερὸν ὕπνον ἐμόχθη.

Prop. IV. XI, 81.

*Sat tibi sint noctes, quas de me, Paulle, fatiges.* —

Ceterum eadem via incedens b. Fonteinius graeci carminis ope latinum emendare conatus est, & ingeniosam conjecturam margini Editionis Broukhusianae, olim suae, cujus vero ad Te delatae usum mihi denegare haud magis sustinuit humanitas Tua, adscripsit ad versum 47. s.

*Prolapsum leviter facili traxere liquore.*
*Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.*

*Cui procul Alcides* iterat reſponſa: *ſed illi*
*Nomen ab extremis fontibus aura refert.*

Nimirum pro iſtis verbis, *iterat reſponſa*: proponit Fonteinius:

*Cui procul Alcides* ter Hyla! reſpondet: *at illi*
*Nomen ab extremis fontibus aura refert.*

Egregie haec conveniunt cum Theocriti verbis v. 58.

τρὶς μὲν Ὕλαν ἄϋσεν ὅσον βαθὺς ἤγυγε λαιμός,
τρὶς δ' ἄρ' ὁ παῖς ὑπάκουσεν. ἀγαιὰ δ' ἵκετο φωνὰ
ἐξ ὕδατος — —

Accedit, quod haec emendatio Rutgerſii pariter atque D'Orvillii ſententiae favet, quorum ille nomen Hylae, quod ab extremis fontibus aura refert, deſiderari recte judicavit, hic formulam iſtam in fine verſus, *ſed illi*, Propertio familiarem, nullo modo mutandam cenſuit. Quod autem Fonteinius pro, *ſed illi*, reſtituit, *at illi*, id menti D'Orvillii minime repugnat. Nam ita Propertius loqui ſolet, e. g. IV, 4, 15.

*Hinc Tarpeja Deae fontem libavit*: at illi
*Urgebat medium fictilis urna caput.*

Plura exempla collegit ad h. l. Burmannus. Propius tamen a literarum ductu Fonteinii conjectura abeſſet, ſi mecum pro *reſpondet*, legere malles:

*Cui*

*Cui procul Alcides* ter Hyla! reſponſat: *at illi*
*Nomen ab extremis fontibus auta refert.*

Quid enim obſtat, quo minus nobis perſuadeamus, Propertium, cum de vocis repercuſſu hic agatur, earundem ſyllabarum repetitionem data opera adhibuiſſe. Virgil. Eclog. VI, 43.

*His adjungit, Hylan nautae quo fonte relictum*
*Clamaſſent, ut litus, Hyla, Hyla, omne ſonaret.*

*Reſponſare* quoque dixit Val. Flaccus III, 597, de Hyla agens:

*Rurſus Hylan, & rurſus Hylan, per longa reclamat*
*Avia*, reſponſant *ſylvae, & vaga certat imago.*

Idem Propertii ſtudium, in adoptando peculiari graecorum verborum uſu collocatum, agnoſcas etiam lib. III, 15, 32.

*Et* feries *nudos veſte fluente pedes*,

quod dubito an ab alio ſcriptore latino de veſte longa & fluente dictum ſit, praeter Val. Flaccum, qui noſtrum locum fortaſſe reſpexit I, 385.

—— —— *Puniceo cui circumfuſa cothurno*
*Palla imos* ferit *alta pedes* ——

Solent enim hac in re latini poetae lenioribus uti verbis e. g. *alludere*, ſ. *illudere*, ut Tibull. III, 4, 35.

*Ima videbatur talis illudere palla,*

Ita Graeci, προσπαίζειν. Homerum tamen τύπτειν de clypei pedes attingente corio dicere memini Il. ζ. 117.

ἀμφὶ δὲ μιν σφυρὰ τύπτε, καὶ ἀυχένα δέρμα κελαινὸν,
ἄντυξ, ἣ πυμάτη θέεν ἀσπίδος ὁμφαλοέσσης.

ubi Clarkius: Hectorem, inquit, incedentem ita depingunt hi duo verſus, ut tanquam ob oculos ponant." Quod transferre licet ad noſtrum locum de Baccho:

*Candida laxatis onerato colla corymbis,*
*Cinget Baſſaricas Lydia mitra comas.*
*Laevis odorato cervix manabit olivo,*
*Et feries nudos veſte fluente pedes.*

Omnia hic comparata vides ad ſummam Dei majeſtatem declarandam, quae ſunt, pulchra cervix, coma promiſſa & ſuaviter ſpirans, palla defluens, denique inceſſus. Vid. Heyn. ad Virgil. Aeneid: I. 402.

*Dixit, & averters roſea cervice refulſit,*
*Ambroſiaeque comae divinum vertice odorem*
*Spiravere: pedes veſtis defluxit ad imos,*
*Et vera inceſſu patuit dea.*

Lib.

Digitized by Google

— Lib. III. 17, 22.

*Tuque o Minoa venumdata, Scylla, figura,*
Tondens *purpurea regna paterna coma.*

Pro *tondens*, quam lectionem quatuor Codd. Tui, quos penes me habeo, tuentur, Burmannus tentat, *prodens* vel *tradens*. Deinde locum ita constituendum putat:

*Tuque o Minoae venumdata, Scylla, figurae,*
*Tondens purpuream, regna paterna, comam.*

ut per adpositionem *comam* Nisi *purpuream* vocet *regna paterna*, quia ab hoc fatali crine dependebat incolumitas regni & vita Nisi, &c. Haec minus probabuntur illi, qui meminerit, *tondere* h. l. vim verbi graeci κείρειν exprimere, quod & *tondere* & *devastare*, valet. Homer. Odyss. XVIII, 142.

δι' ὀρόω μνηστῆρας ἀτάσθαλα μηχανόωντας,
κτήματα κείροντας, καὶ ἀτιμάζοντας ἀκοιτιν —

Quare, *tondens purpurea regna paterna coma* idem est ac, tondendo purpuream comam regna paterna hostibus devastanda tradens. Cui interpretationi non obstat, quod v. 28. dicitur de Minoe:

*Victor erat quamvis, aequus in hoste fuit.*

Nam haec ignorabat Scylla, cum regnum paternum

proderet. Lectio *tondens* praeterea ſtabilitur fragmento quodam apud Suidam. Κρέκα. τὴν τρίχα. Πορφυρίων ἤμησε κρέκα. ἀντὶ τοῦ ἔκοψε. Quamquam enim ἀμᾶν proprie eſt, *demetere*, tamen & verti poteſt, *tondere*, quo ſenſu Propertius III. 11, 29 dixit: *Nunc violas tondere manu.* Deſumtum autem eſſe illud fragmentum ex Callimacho, perpetuo poetae noſtri duce, & de Niſi coma intelligendum, ſuſpicatus eſt Toupius *Cur. Noviſs.* in Suidam p. 238. cui adſtipulatur Heynius ad Virgil. Cirin, T. IV. p. 95.

Iam, propoſitis aliquot exemplis, ad utrumque illud imitationis genus, de quo ſupra diximus, referendis, ut ordine ac via procedat oratio, ad primum Elegiarum librum revertar, & reliqua Propertii loca, e graecis fontibus, ut videtur, hauſta, iis deinceps interſeram, quae aut illuſtratione aut emendatione ſublevanda duxi.

Lib. I. VIII. 9.

*O utinam hibernae duplicentur tempora brumae,*
*Et ſit iners tardis navita Vergiliis.*
Nec *tibi Tyrrhena ſolvatur funis in ora*
*Neve inimica meas elevet aura preces:*
Atque *ego non videam tales ſubſidere ventos,*
*Quum tibi provectas auferet unda rates.*
*Et me defixum vacua* patiaris *arena*
*Crudelem* infeſta *ſaepe vocare* manu.

Haud

Haud abſimilis locus eſt I. VI, 13.

*An mihi ſit tanti doctas cognoſcere Athenas,*
*Atque Aſiae veteres cernere divitias!*
*Ut mihi deducta faciat convicia puppi*
*Cynthia & inſanis ora notet manibus,*
*Oſculaque oppoſito dicat ſibi debita* vento
*Et nihil infido durius eſſe viro.*

Uterque locus, graviſſimis ſine dubio mendis laborans, variis virorum doctorum conjecturis tentatus eſt. Miror tamen, neminem de corrigendo pentametro,

*Crudelem infeſta ſaepe vocare manu*

cogitaſſe. Quocunque enim verba: *infeſta manu*, trahas, ſive ad *Crudelem* ſive ad *Vocare*, nihil extricaveris. Burmannus locum ita explicare conatus eſt: „Ego *vocare manu* hic interpretor, Propertium Cynthiam, abitu ſuo ſe deſerentem, clamare crudelem & perjuram, manu in altum elata, vel pectus plangente." At haec mihi non ſatisfaciunt, neque, credo, alii. Quid multa? Librarium, hos verſus deſcribentem, in animo habuiſſe credo ſimilem locum:

*Ut mihi deducta faciat convicia puppi*
*Cynthia & inſanis ora notet* manibus.

adeoque factum, ut *infeſta manus* in hunc verſum irrepſerit. Quare levi mutatione locum ita refingendum puto:

*Cru-*

Digitized by Google

*Crudelem* INFESTO *ſaepe vocare* MARI.

Ita Ariadne apud Ovidium A. A. Lib. I. 503.

*Theſea* crudelem *ſurdas* clamabat *ad* undas.

Prop. I, XV, 9.

*At non ſic Ithaci digreſſu mota Calypſo*
Deſertis *olim fleverat* aequoribus.
*Multos illa dies incomtis moeſta capillis*
*Sederat*, injuſto *multa locuta* ſalo.

Crudelem vocare, ut Horat. III. Od. VII.

*Et te ſaepe* vocanti
Duram *difficilis mane.*

Eadem medicina adhibenda videtur alteri loco, a nobis memorato, & quidem vs. 17.

*Oſculaque* oppoſito *dicat ſibi debita* vento
*Et nihil infido durius eſſe viro.*

quam variis conjecturis & explicationibus obſcuriorem potius reddiderunt viri docti, quam lucem ei adfuderunt, teſte Burmanno. Variant Codd. in verbis, *dicat ſibi debita.* Vulgata lectio proba eſſe videtur, confirmaturque conſenſu Codicis Vallieriani, e bibliotheca Crevenn. ad Te delati. Verſu breviori idem Codex pro *Viro* exhibet *thoro*, quae lectionis varietas a nemine adhuc adnotata eſt. At plura ſunt eaque non

non minoris momenti argumenta, quae mihi persuadent, hunc Codicem nondum esse collatum. De *vento opposito* varia sunt virorum doctorum commenta. Dudum conjeci; opposito *ponto*, ut nosti. Nunc audi Fonteinium: „ Intelligunt plerique Interpretes *ventum* profecturis secundum, sed Cynthiae votis adversum. Verum nullo indicio constat, veteres nudum epitheton *oppositus* pro, votis alicujus contrarius, unquam adhibuisse. Solent praeterea puellae, amatorum discessum lugentes, non ad ventos querelas suas effundere, sed ad mare. Sic hujus libri Eleg. XV, 12, Calypso, ob Vlyssis abitum moesta, depingitur tanquam

— — *injusto multa locuta salo.*

Sic Phyllis apud Ovid. Remed. Amor. vs. 597.

*Perfide Demophoon; surdas clamabat ad undas.*

Neque aliter Ariadne, a Theseo derelicta, Tibullo III, VI, 40, dicitur fleviſſe, non vento, sed *mari.* Ita enim ille:

*Gnosia, Theseae quondam perjuria linguae*
*Flevisti* ignoto, *sola relicta*, mari.

Quae faciunt, ut hoc quoque in loco vulgatum *vento* mutandum censeam in *ponto*; ut Propertius *oppositum pontum* vocaverit mare, quod Cynthia ante oculos esset habitura, quando navis itineri parata, eo foret deducta." Ita egregie de hoc loco disputavit Fontei-

ni-

Digitized by Google

nius! Quamquam illi non largior, quod affirmavit, puellas amatorum diſceſſum lugentes, non ad *ventos* querelas ſuas effundere poſſe. Saltem hoc ab aliis fieri memini, qui in calamitate verſantur. Vide Broukhuſ. ad Prop. III, V. 11.

*Dii maris, Aegei quos ſunt penes aequora, Venti,*
*Et quaecunque meum degravat unda caput.* —

Omnino enim rebus inanimatis, coelo & terrae, ſilvis, montibus vel ſimil. miſeri calamitates ſuas enarrare poetis dicuntur. v. Prop. I, XVIII. 1, ibique Burman. Eurip. Med. 57.

Ἐγὼ γὰρ εἰς τοῦτ' ἐκβέβηκ' ἀλγηδόνος
Ὡς θ' ἵμερος μ' ὑπῆλθε γῆ τε κοὐρανῷ
Λέξαι, μολούσῃ δεῦρο, Μηδείας τύχας.

Hinc fortaſſe conclamatus Ariſtaeneti locus Lib. I. epiſt. XVI emendandus, qui vulgo ita legitur: Ἔρωτι περιπεσὼν ἀπορρήτῳ, κατ' ἐμαυτὸν ἔφασκον ἄπορῶν. οὐδεὶς ἕτερος ἐπίσταται τῆς ἐμῆς καρδίας τὸ βέλος, εἰ μὴ σύ γε πάντως ὁ τρώσας, καὶ ἡ ταῦτά σε καλῶς παιδεύσασα μήτης. ὐ δύναμαι γὰρ οὐδὲ γυναῖξιν, ὐρανὲ, τυμὸν ἀφηγήσασθαι πάθος. πέφυκε δὲ τοῖς ποθοῦσιν ἔτι μᾶλλον ἐπάυξειν ὁ λαθραῖος ἅμα καὶ σιγώμενος ἔρως. ἅπας γὰρ δῖ' ὅτιοῦν ἀχθόμενος τὴν ψυχὴν, τὸ λυποῦν ἐκλα-

λῶν,

λῶν, ἐπικυφίζει τῇ διανοίᾳ τὸ βάρος. Lego pro corruptis istis verbis, ϑ δύναμαι γὰρ οὐδὲ γυναιξὶν, οὐρανὲ, duce Euripide; οὐ δύναμαι γάρ ϑδὲ γῇ λέξαι, οὐδ' οὐρανῷ τυμὸν ἀφηγήσαθαι πάθος. Quod proverbii loco dictum significare possit, *omnino neminî miserias meas enarrare possum*. Erat enim ἔρως ἀπόῤῥητος. Plautus Mercat. Prolog. 3. *Non ego item facio, ut alios in Comoediis vidi facere amatores, qui aut nocti, aut diei, aut soli, aut lunae miserias narrant suas.* ——

Ultima quoque verba; τῇ διανοίᾳ τὸ βάρος, corrupta esse videntur. Lego: ἅπας γὰρ δι' ὁτιοῦν ἀχθόμενος ἦν ψυχὴν, τὸ λυποῦν ἐκλαλῶν, ἐπικυφίζει τῆς ἀνίας τὸ βάρος. Sophocl. Elect. 119.

Μόνη γὰρ ἄγειν οὐκ ἔτι σωκῶ
Λύπης ἀντίῤῥοπον ἄχθος.

Nunc videre Ruhnkenium V. Cl. ad Callimach. Frag. LXVII. p. 441 legere: τῆς ἀδημονίας τὸ βάρος, quod praeferrem, nisi hic ipse Callimachi locus, quem expressisse Aristaenetum docuit Vir Summus l. c. conjecturam meam quodammodo fulciret:

Κουφοτέρως τότε φῶτα διαϑλίβουσιν ἀνίαι,
Ἐκ δὲ τριηκόντων μοῖραν ἀφεῖλε μίαν,
Ἦλθ'

Digitized by Google

Ἦλθ' ὅτ' ἂν ἢ εἰς ἄνδρα συνέμπορον, ἢ ὅτε κωφαῖς
Ἄλγεα μαψάυραις ἔσχατον ἐξερέῃ.

Vs. 3, Ἦλθ' ὅτ' ἂν ἢ, pro: Ἢ ὅτ' ἐς ἄνδρα συνέμπορον, ἢ ὅτε κωφαῖς — ex emendatione Tua eſt, vir Eruditiſſime, quae praeſtare videtur reliquis virorum doctorum Conjecturis. Ipſe olim conjeci: Εἰπ' ὅτ' ἂν ἢ εἰς ἄνδρα συνέμπορον, &c. quemadmodum de Phaedrae amore, quem Nutrix Hippolyto profitendum ſuadebat Eurip. Hippol. v. 490. dicitur:

— — εἰς τάχος δυστέον
τὸν εὐθὺν ἐξιπόντας ἀμφὶ σοῦ λόγον.

Locus Propertii I, VIII, 9. unde digreſſa eſt oratio, variis adhuc premitur difficultatibus. Vs. 13, Codex Vallier. pro *Atque* offert *Aut*, & vs. 15. pro *patiaris*, *patiatur*. Fortaſſe ita legendum:

O *utinam hibernae duplicentur tempora brumae*,
*Et ſit iners tardis navita Vergiliis*,
Ne *tibi Tyrrhena ſolvatur funis in ora*,
*Neve inimica meas elevet aura preces*,
*Et me defixum vacua* patiatur *arena*
*Crudelem* infeſto *ſaepe vocare* mari.
Aut *ego non videam tales ſubſidere ventos*,
*Quum tibi provectas auferet unda rates.*

h. e. ſi neglectis precibus meis proficiſci ſuſtineas, tunc

tunc ego non videam *tales* ventos ſubſidere, qui auferant provectas rates & diſſipent. Quas diras vix effuderat poeta, cum reſipiſceret & palinodiam caneret:

*Sed quocunque modo de me, perjura, mereris,*
*Sit Galatea tuae non aliena viae:*
*Ut te felici praevecta Ceraunia remo*
*Accipiat* placidis *Oricos* aequoribus.

Ejusmodi inconſtantia amatoris, nunc rogantis, nunc iraſcentis, denique reſipiſcentis, inprimis convenit Elegiae, utpote quae in animi commotionibus, vehementioribus quidem, at ratione ac conſilio ſubinde temperatis verſatur.

Vs. 33.

*Illa vel anguſto mecum requieſcere lecto,*
*Et quocunque modo maluit eſſe mea,*
*Quam ſibi dotatae regnum vetus Hippodamiae,*
*Et quas Elis opes ante pararat equis.*

Regnum Hippodamiae ſ. Pelopis non ea de cauſſa a poeta commemoratum eſt, quia Praetor ille, quocum Cynthia profectura erat, eo contenderit, ſicuti Scaliger errat, ſed omnnio dictum pro diti & magnifico. V. Barth. Cl. Fortaſſe Propertius exprimere voluit Theocrit. Idyll. VII. v. 53.



Digitized by Google

Μή μοι γᾶν Πέλοπος, μή μοι Κροίσοιο ταλάντα
Εἴη ἔχειν, μηδὲ πρόσθε θέειν ἀνέμων,
Ἀλλ' ὑπὸ τᾷ πέτρᾳ τᾷδ' ἄσομαι, ἀγκὰς ἔχων τὺ,
Σύννομα μᾶλ' ἐσορῶν τὰν Σικελὰν ἐς ἄλα.

Pentameter: *Et quas Elis ante pararat equis*, videtur ortum debere verbis graecis, μηδὲ πρόσθε θέειν ἀνέμων. V. Pierſon. Veriſim. p. 47. Coll. Tibul. III, 3, 29.

*Non me regna juvent, nec Lydius aurifer amnis,*
*Nec, quas terrarum ſuſtinet orbis, opes.*
*Haec alii cupiant; liceat mihi, paupere cultu,*
*Securo cara conjuge poſſe frui.*

Lib. I. Eleg. X, 21.

*Tu cave ne triſti cupias pugnare puellae,*
*Neve* ſuperba *loqui, neve tacere diu.* —
Irritata venit, *quando contemnitur illa,*
*Nec meminit juſtas ponere laeſa minas.*
*At quo* ſis humilis *magis & ſubjectus Amori,*
*Hoc magis effectu ſaepe fruare bono.*

Videtur ob oculos habuiſſe Propertius Eurip. Hippolyt. 443.

Κύπρις γὰρ οὐ φορητὸς, ἢν πολλὴ ῥυῇ,
ἢ τὸν μὲν εἴκοντ' ἡσυχὴ μετέρχεται.
Ὃν δ' ἂν περισσὸν καὶ φρονοῦνθ' ὕβρει μέγα,
τοῦτον λαβοῦσα, πῶς δοκεῖς, καθύβρισε.

Eo

Eo quoque ducunt vs. 17—18.

*Et poſſum alterius curas ſanare recentes,*
*Nec levis in verbis eſt medicina meis.*

Nam & haec reſpondent verbis, quibus Phaedram commonefacere Nutrix pergit vs. 478.

Εἰσὶν δ' ἐπῳδαὶ κἀι λόγοι θελκτήριοι,
φανήσεταί τε τῆσδε φάρμακον νόσου.

Plenius hunc locum expreſſit Horat. I. Epiſt. I, 33.

*Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem*
*Poſſis, & magnam morbi depellere partem.*

Addit Propertius vs. 19.

*Cynthia me docuit ſemper, quaecunque petenda,*
*Quaeque* cavenda *forent: nonnihil egit Amor.*

Lectio *Cavenda* confirmatur Codice Vallieriano. Scaliger repoſuit: Quaeque *verenda* forent. Burmannus *Carenda* malit ad oppoſitionem verbi *petenda;* quaſi nulla ſit inter petendum & cavendum oppoſitio! Praefert tamen vulgatam, quae imitatione Perſii Sat. V. vs 107, ſtabilitur,

*Quaeque* ſequenda forent, *quaeque* evitanda *viciſſim*
*Illa prius creta, mox haec carbone notaſti.*

Idem, *cavere, evitare, fugere.* Cicer. Acad. Quaeſt.

I, 2, 6. quibuſnam quiſquam enuntiare verbis, aut quem ad intelligendum poterit adducere haec ipſa de vita, & moribus, de *expetendis*, *fugiendiſque* rebus?

Lib. I. Eleg. XIII. 13. ſeq.

*Haec ego non rumore malo, non augure doctus,*
*Vidi ego, me, quaeſo, teſte negare potes?*
*Vidi ego te toto vinctum langueſcere collo,*
*Et flere injectis, Galle, diu manibus:*
*Et cupere* optatis *animam deponere labris,*
*Et quae deinde meus celat, amice, pudor.*
*Non ego complexus potui diducere veſtros,*
*Tantus erat demens inter utroſque furor.*

De verſu 17 recte judicavit Burmannus, languere illud, *optatis labris*, praeferendamque eſſe reſtitutionem Patrui, *aptatis* labris. Ut enim animam deponere labris amator dicatur, in oſculando occupatus ſit neceſſe eſt. Neſcio tamen, cur vel ſic *aptatis* iſtis *labris* non adſentiar. Deſidero adhuc verbum, quo puellae prius reluctantis, mox cedentis amatori actio melius ob oculos ponatur. Quodſi igitur lectio *labris* vera eſt, uti perſuaſum mihi habeo, praeſtet fortaſſe legere:

*Et cupere* OBLATIS *animam deponere labris* —

Gra-

Graphice hos amantum luſus deſcripſit Tibullus I. IV. 53.

*Tunc tibi mitis erit, rapias tum cara licebit*
*Oſcula; pugnabit, ſed tamen apta dabit.*
*Rapta dabit primum, mox* offeret *ipſe roganti;*
*Poſt etiam collo ſe implicuiſſe volet.*

Eandem rem tractavit recentioris aetatis ſcriptor, Paulus Silentiarius, cujus epigramma VII. in Anal. Brunck. T. III p. 73. tantam habet cum tota Propertii Elegia ſimilitudinem, ut plane mihi perſuadeam, auctorem e latinis profeciſſe. Paulum enim latinae linguae peritum fuiſſe, iam ſuſpicatus eſt D. Ruhnkenius Epiſt. Crit. I. p. 72. Quae Viri ſagaciſſimi conjectura hoc exemplo confirmatur:

Εἶδον ἐγὼ ποθέοντας. ὑπ' ἀτλήτοιο δὲ λύσσης
Δηρὸν ἐν ἀλλήλοις χείλεα πηξάμενοι,
Οὐ κόρον εἶχον ἔρωτος ἀφειδέος. ἴεμενοι δὲ,
Εἰ θέμις, ἀλλήλων δύμεναι εἰς κραδίην.
Ἀμφαδίην ὅσον ὅσσον ὑπεπρήϋνον ἀνάγκην,
Ἀλλήλων μαλακοῖς φάρεσιν ἐσσάμενοι.
Καί ῥ' ὁ μὲν ἦν Ἀχιλῆϊ πανείκελος, οἷος ἐκεῖνος
Τῶν Λυκομηδείων ἔνδον ἔην θαλάμων.
Κεῖνη δ' ἀργυφέης ἐπιγουνίδος ἄχρι χιτῶνα
Ζωσαμένη, φοίβης εἶδος ἀπεπλάσετο.

Καὶ πάλιν ἠρέθιστο τὰ χείλεα, γυιοβόρον γὰς
Εἶχον ἀλωφήτῳ λιμὸν ἐρωμανίης.
Ῥεῖά τις ἡμερίδος φελέχη δύο σύμπλοκα λύσει,
Στρεπτὰ, πολυχρονίῳ πλέγματι συμφυέα,
Ἢ κείνως φιλέοντας, ὑπ' ἀντιπόροισιν ἀγοστοῖς
Ὑγρὰ περιπλέγδην ἄψεα δησαμένως.
Τρὶς μάκαρ, ὅς τοίοισι, φίλη, δεσμοῖσιν ἑλίχθη,
Τρὶς μάκαρ. ἀλλ' ἡμεῖς ἄνδιχα καὶ μεθα.

Ultima quoque verba respondent versui 2 Propertii, *quod abrepto solus amore vacem*; quamquam diverso sensu uterque scriptor haec dixisse putandus. Quae de suo addidit Paulus in hoc carmine, ad exempla fere redeunt. Nimirum transtulit ad *Achillen* & *Phoeben* partes, quas Propertius Herculi, Neptuno & Ledae filiabus dederat. v. 21.

*Non sic Aemonio Salmonida mixtus Enipeo*
*Taenarius facili pressit amore Deus.*
*Nec sic caelestem flagrans amor Herculis Heben*
*Sensit ab Oetaeis gaudia prima jugis.*

Vs. 29.

*Nec mirum, cum sit Jove digna, & proxima Ledae*
*Et Ledae partu, gratior una tribus. &c.*

Reliqua ad nauseam usque amplificavit imitator graeculus. Quis enim hujus loquacitati non praeferendam

dam ducat Propertii simplicitatem? Ceterum varia in hoc epigrammate occurrunt, quibus Burmanni restitutio, *aptatis labris*, fulciri possit, ut vs 2. χείλεα πηξάμενοι, & vs. 11. καὶ πάλιν ἠρήσειτο τὰ χείλεα. Neque tamen haec plane refragantur emendationi nostrae: *oblatis labris*, cui eadem imago subest. Cf. Phavorini locus apud Stob. Sermo. LXIII. p 407. Καὶ οὐκ ἂν ἔδεισα τὴν εὐωχίαν τὴν τῶν καλῶν. Τί γὰρ ἄλλο ποιοῦσιν οἱ τῷ στόματι ψάυοντες, (ἢ) συνάπτουσι τὰς ψυχάς; εἰ γὰρ θέμις ὧν τὸ σῶμα ὑπερβῆναι. νῦν δὲ ἐοίκασιν περὶ τὸ σῶμα λιπαρεῖν ὡς περὶ θύρας. Pro istis: εἰ γ. θ. ὧν, legendum fortasse, εἰ γὰρ θέμις ἀλλήλων τὸ σῶμα ὑπερβῆναι, quomodo Paul. Silent: vs. 3. dixit: ἱέμενοι δὲ, εἰ θέμις, ἀλλήλων δύμεναι εἰς κραδίην. Aliter hunc locum tentavit Jacobsius noster Animadv. in Eurip. Tragoed p. 267. Jam cum Propertii loco, de quo hic agitur, comparanda sunt illa I, X, 1.

*O jucunda quies, primo quum testis amori*
*Affueram vestris conscius in* lacrimis. ——
*Quum te complexa morientem, Galle, puella*
*Vidimus, & longa ducere verba mora.* ——
*Non tamen a vestro potui secedere lusu,*
*Tantus in alternis vocibus ardor erat.*

Illud *lacrimis* varios Interpretes offendit. Ipſe olim legendum putavi:

*Affueram veſtris conſcius in* thalamis.

Vulgata tamen defendi poteſt, ut exempla a Broukhuſio collecta docent. „ Quae autem bona ſunt, & veterum librorum auctoritate munita, ea aliis licet & ipſis bonis, forte etiam melioribus, commutari non debent; quemadmodum recte ſtatuit Brunckius, vir κριτικωτάτος, in Anal. T. III. p. 128.

Poſtquam haec a me ſcripta erant, incidi in aliud carmen Pauli Silentiarii, quo egregie comprobatur, quod ſupra cum Ruhnkenio adfirmavimus, hunc ſcriptorem latinae linguae peritum fuiſſe. Nimirum idem illud epigramma, quod Vir Clariſſimus l. c. cum Ovidii Epiſt. V. 140—144 comparavit, referendum eſt ad Propertii Elegiam III. Lib. I. quemadmodum & tota carminis oeconomia, & ſingula quoque verba evincunt. Quae enim in ipſo epigrammatis initio ita extulit auctor:

Δειελινῷ χαρίεσσα Μενεκρατὶς ἔκχυτος ὕπνῳ
Κεῖτο περὶ κροτάφους πῆχυν ἑλιξαμένη.
Τολμήσας δ' ἐπέβην λεχέων ὕπερ.

haec igitur plane reſpondent latinis Propertii verbis:

*Qualis Theſea* jacuit *cedente carina*
Languida *deſertis Gnoſia littoribus* ——

*Ta-*

*Talis visa mihi mollem spirare quietem*
*Cynthia* non certis nixa caput manibus.

Et versu 11.

*Hanc ego, nondum etiam sensus deperditus omnes,*
*Molliter* impresso conor adire toro.

Fulcrum hinc accipit, ut obiter hoc moneam, lectio *conor*. In aliis Codd. est *cogor*, quod merito rejecit Burmannus. Apparet, Paulum Silentiarium legisse *conor*, quod exprimere voluit verbo τολμήσας. Ad primum distichon possis etiam referre Propertii versum 11.

*Subjecto leviter positam tentare lacerto* ——

Reliqua pro consilio ac fine carminis sui variavit Paulus, ita tamen, ut imitatorem usquequaque agnoscas:

—— —— —— ὡς δὲ κελεύθου
Ἥμισυ Κυπριδίης ἤνυον ἀσπασίως,
Ἡ παῖς ἐξ ὑπνοῖο διέγρετο, χερσὶ δὲ λευκαῖς
Κράατος ἠμετέρου πᾶσαν ἔτιλλε κόμην.
Μαρναμένης δὲ τὸ λοιπὸν ἀνύσσαμεν ἔργον ἔρωτος.
Ἡ δ' ὑποπιμπλαμένη δάκρυσιν εἶπε τάδε.

Propertius versus 31.

*Donec diversas percurrens Luna fenestras,*
*Luna moraturis sedula luminibus,*

*Compositos levibus radiis patefecit ocellos.*
*Sic ait in molli* fixa *toro* cubitum:

Σχέτλιε, νῦν μὲν ἔρεξας ὅ τοι φίλον, ᾧ ἐπὶ πουλὺν
Πολλάκι σῆς παλάμης χρυσὸν ἀπωμοσάμην.
Οἰχόμενος δ' ἄλλην ὑποκόλπιον εὐθὺς ἐλίξεις.
Ἐσ τὲ γὰρ ἀπλήστου Κύπριδος ἐργατίναι.

*Tandem te noſtro referens injuria lecto,*
Alterius *clauſis expulit e foribus. &c.*

Etiam *lacrimarum* mentionem facit Propertius v. 46.:

*Illa fuit* lacrimis *ultima cura meis.*

Egregie, ut haec ſubjungam, defendit Burmannus ejuſdem Elegiae verſum 9.

*Ebria quum multo traherem veſtigia Baccho —*

contra interpolationem Codicis Groningani, *traherem ſuſpiria. Trahere veſtigia* dictum, ut in Eurip. Phoen. 310. γήρᾳ τρόμεραν ἕλκω ποδὸς βάσιν, & *ebria veſtigia* optime illuſtrat verſus plane gemellus in Meleagr. epigram. L. X.

Πάντα δ' ὑπ' ἀκρήτου γῦια σαλευτὰ φορεῖς.

De verbo σαλεύειν vid. Brunck. Sophoel. Tom. IV. p. 655. & Abreſch. Lection. Ariſtaenet p. 48 & 320.

Lib.

Digitized by Google

Lib. I. XVI. 21.

*Nullane finis erit noſtro conceſſa dolori?*
*Triſtis & in tepido limine ſomnus erit?*
*Me mediae noctes, me ſidera* prona *jacentem,*
*Frigidaque Eoo me dolet aura gelu.*

Vs. 23. plurimi Codd. legunt ſidera *plena*; quod iure ſuo refutavit Broukhuſius. *Prona* erat in Scaligeri libro, eaque lectio Burmanno quoque placet. Illuſtratur hic locus fragmento Sapphus VIII. Anal. Brunck. T. I.

Δέδυκε μὲν ἀ Σελάνα
Καὶ Πληϊάδες, μέσαι
Νύκτες, παρὰ δ' ἔρχετ' ὤρα.
Ἐγὼ δὲ μόνα καθεύδω.

Vs. 27.

*O utinam trajecta cava mea vocula rima*
*Percuſſas dominae* vertat *in auriculas.*

*Vertat* media ſignificatione pro *vertatur* capiebat Fruterius, quod diſplicuiſſe videtur doctiſſimo Interpreti. Neque apparet, utrum Gruteri emendationi *vergat* calculum ſuum adjecerit. Ipſe olim deſideravi verbum, quod *voculae* per *rimam* trajectae in *auriculas* dominae, melius conveniret, legendumque putavi:

*Per-*

*Percuſſas dominae* ſerpat *in auriculas.*

*Serpere* ita hic a Propertio dictum videri poſſit; ut στάζειν ſtillare, in Eurip. Rheſ. v. 565.

— — ἡ κενὸς φόφος
Στάζει δ' ὤτων.

Poſtea nihil mutandum eſſe cognovi. *Vertere* pro *verti*, *ſe vertere*, ſaepius apud alios ſcriptores occurrit, inprimis apud Livium, e. g. Lib. IX, 38. *fama adverſae rei* vertit *in Romanos*, & Lib. II, 27. *Metus omnis & periculum in creditores a debitoribus* verterat.

Lib. II. VI. 1.

*Gaviſa es certe ſublatam, Cynthia, legem,*
*Qua quondam edicta flemus uterque diu,*
*Ni nos divideret, quamvis diducere amantes*
*Non queat invitos Jupiter ipſe duos.*
*At magnus Caeſar. Jed magnus Caeſar in armis.*
*Devictae* gentes *nil in amore* valent.

Ultimus verſus, quemadmodum ille nunc legitur, nullo modo ad antecedentem hujus Elegiae partem quadrat. Senſus enim eſt, ut Gruteri aut Burmanni verba repetam; cum legem tuliſſet Caeſar de maritandis ordinibus, nec ea tamen per tumultum reſiſtentium perlata eſſet, ideo ſic exſultat poeta, dicitque,

que, non hoc quidem Caeſaris eſſe, ut amantes conjunctos ſeparet, quam libet magnus ſit, immo maximus; at *titulus hic ei convenit cum eſt in armis, ſed amor dari nec poteſt nec debet.* Quae cum ita ſint, interpunctione poſt *armis* ſublata, meo periculo lege:

— — *ſed magnus Caeſar in armis,*
*Devictae* gentis *nil in amore* valet.

Ita omnia optime ſibi reſpondent; *qui magnus eſt in armis Caeſar, nil valet in amore devictae gentis.* Qua de cauſa ſequenti verſu pergit Propertius:

*Nam citius paterer caput hoc diſcedere collo,*
*Quam poſſem nuptae perdere amore faces.*

Vs. 9—12.

*Anne ego tranſirem tua limina clauſa maritus,*
*Reſpiciens udis prodita luminibus.*
*Ah mea tum quales caneret tibi* TIBIA *ſomnos,*
*Tibia, funeſta triſtior illa tuba.*

Mira lectionis varietas deprehenditur verſu 11. Nam pro *tibia* in quibuſdam Codd. eſt *Cynthia*, quae duo verba quomodo inter ſe permutari potuerint, vix apparet. Etiam in Cod. Vallier. fuit *Cynthia*, cui tamen deleto nomini ſuperſcriprum eſt *tibia.* Utra igitur vera lectio? Mihi neutra videtur. Admodum enim credibile eſt, periiſſe aliud verbum, quod ſi-

similitudinem aliquam literarum haberet cum *Cynthia* & *Tibia*, atque ex hoc fonte promanasse istam lectionis varietatem. Qua in re me confirmavit primum ingratus syllabarum sonus, qui est in verbis deinceps positis, *tibi tibia.* Deinde versu breviori admonitus, mihi persuasi, obliteratum esse epitheton tibiae, quod causam contineret, cur ea *funesta tristior tuba*, appellaretur. Hac via tandem eo perveni, ut legerem:

*Ah mea tum quales caneret tibi* LYDIA *somnos*
*Tibia, funesta tristior illa tuba.*

Lydiam harmoniam inprimis acutam fuisse, & lamentationibus accomodatam, in vulgus notum. Hinc eam Plato de Republica libr. III. notat. p. 286. Edit. Bipont. Τίνες οὖν θρηνώδεις ἁρμονίαι, λέγε μοι. σὺ γὰρ μουσικός. Μιξολυδιστὶ, ἔφη, καὶ συντολυδιστὶ, καὶ τοιαῦται τινές. Οὐκοῦν αὗται, ἦν δ' ἐγὼ, ἀφαιρετέαι. ἄχρηστοι γὰρ καὶ γυναιξὶν ἂς δεῖ ἐπιεικεῖς εἶναι, μὴ ὅτι ἀνδράσι. *Lydiae* vero *tibiae*, h. e. quae modulum Lydium imitaretur, inventor fuisse traditur Olympus Phryx, de quo Plutarchus de Musica: Ὄλυμπον γὰρ πρῶτον Ἀριστόξενος ἐν τῷ πρώτῳ τῆς Μουσικῆς, ἐπὶ τῷ Πύθωνί φησιν ἐπικήδειον αὐλῆσαι Λυδιστί. Vide interpretes ad Eurip. Iphig. in Aul. v. 573. qui locus ita interpungundus:

Ἔμο-

Ἔμολες, ὦ Πάρις, ἦ τε σὺ γε
Βουκόλος ἀγεννᾶις ἐτράφης
Ἰδαίαις παρὰ μόσχοις,
Βάρβαρα συρίζων, φρυγίων
Αὐλῶν Ὀλύμπου καλάμοις
Μιμήματα πλέκων.

Ita Teleſtes apud Athenaeum lib. XIV, quomodo ejus verba vulgo leguntur, ἡ φρύγα τέκε καλλιπνόων αὐλῶν ἱερῶν βασιλῆα Ἀηδόν' ὅς ἥρμοσε πρῶτος Δωρίδος ἀντίπαλον μούσης νομαίολαν ὀμφὰν, πνεύματος ἔπτερον αὖραν ἀμφιπλέκων καλάμοις. Neſcio, de quo viro hic ſermo ſit, neque Athenaei liber nunc ad manus eſt. Suſpicor autem, haec quoque ad Olympum Phrygem ſpectare, quem omniuo tibiae inventorem fuiſſe, alii tradunt. Vide Rhodigin. Lect. Antiq. p. 443. Quo poſito, legendum erit pro Ἀηδόν' levi mutatione, Λύδον ὅς ἥρμοσε πρῶτος — ὀμφὰν. Aliter rem inſtituit Voſſius, de hoc fragmento agens in Obſervat. ad Catull. p. 227. & ἀηδόνα tibiam vocari adfirmavit. Qua de re nunc plura diſputare nolo, ne longius haec ab incepto me trahant. At commemorandus mihi adhuc eſt locus Apuleji de Aſino: *Jam feralium nuptiarum miſerrimae virginis choragium ſtruitur. Jam taedae lumen atrae fuliginis cinerem arceſſunt, & ſonus tibiae Zygiae mutatur* in querulum Lydiae modum.

Digitized by Google

dum. Commode hoc loco uſus eſt Toupius ad illuſtrandum incerti auctoris fragmentum, quod ad rem noſtram facere videtur, apud Suidam v. Ὑμεναίων. γαμικῶν ὕμνων. Ὑμέναιος γὰρ ἐκείνων Λυδὸς ᾄδεται. Neque hic praetermittendum Dioſcor. Epigram VII, Anal. T. I. p. 494 inprimis diſtichon ultimum:

Θρήνους, ὦ Ὑμέναιε, παρὰ κληῖσιν ἀκούσαις
Ἀρσινόης, πατρῷ μεμψαμένους προδότῃ.

Κληῖδες ſunt *limina clauſa* Propertii. Horat. L. III. Od. VII.

*Prima nocte domum* claude *neque in vias*
*Sub cantum* querulae *deſpice* tibiae,
*Et te ſaepe vocanti*
*Duram, difficilis mane.*

Lib. II. VII. 4.

*Ipſum me jugula, lenior hoſtis ero.*

Pro *hoſtis* Mitſcherlich. Lect. in Catull. & Propert. p. 161. tentat: lenior *hoſtia* ero. Equidem vulgatam praefero, coll. quoad ſenſum, Pauli Silentiarii epigr. IV. v. 8.

Μᾶλλον ἐγὼ τλαίην φάσγανον ἀσπασίως.

Eadem ſententia recurrit II. XXV. 13.

*Tu mihi vel ferro pectus, vel perde veneno:*
*A domina tantum te modo tolle mea.*

Vs.

Digitized by Google

Vs. 40.

*Penelope poterat bis denos salva per annos.*
*Vivere, tam multis* femina *digna procis.*

Marklando legendum videbatur: *multis unica digna procis* Burmannus praefert, *femina*. Recte! Ovid. Trist. II. 375.

*Aut quid Odyssea est, nisi* femina, *propter amorem,*
*Dum vir abest,* multis *una petita* procis?

Lib. II. XIII. 47.

*Haec videam rapidas in vanum ferre procellas.*
*Qua tibi terra velim, qua tibi fiat aqua.*

Homer. Il. VI. 345.

Ὡς μ' ὄφελ' ἤματι τῷ, ὅτε με πρῶτον τέκε μήτης,
Οἰχεσθαι προφέρουσα κακὴ ἀνέμοιο θύελλα
Εἰς ὄρος, ἢ εἰς κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης.

Idem votum Propertii est II, X, 43.

*Atque utinam* primis *animam me ponere* cunis
*Jussisset quavis de tribus una soror.*

Lib. II. Eleg. X, 30.

*Quum dabitur Syrio munere plenus onyx.*
*Deinde ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,*

*Accipiat manes parvula teſta meos.* ——
*Et duo ſint verſus: Qui nunc jacet horrida pulvis,*
*Unius hic quondam ſervus Amoris erat.*

Pertinet huc Meleagri Epigramma XVI. (Anal. Brunck. T. I.) quod ita interpungendum videtur:

Ηυ τι πάθω, Κλείβυλε, (τὸ γὰς πλέον ἐν πυγὶ παίδων
Βαλλόμενος κεῖμαι,) λείψανον ἐν σποδίῃ
Λίσσομαι ἀκρήτῳ μέθυσον, πρὶν ὑπὸ χθόνα θέσθαι,
Κάλπιν ἐπιγράψας. Δῶρον Ερως Αἴδῃ.

Tibull. III. II, 17.

*Pars quae ſola mei ſuperabit corporis, oſſa*
*Incinctae nigra candida veſte legant;*
*Et primum annoſo ſpargant collecta Lyaeo,*
*Mox etiam niveo fundere lacte parent;*
*Poſt haec carbaſeis humorem tollere velis,*
*Atque in marmorea ponere ſicca domo. &c.*

& I. III. 7. *Non ſoror, Aſſyrios cineri quae dedat odores, & fleat effuſis ante ſepulcra comis.*
Propert. ibidem vs. 11.

*Tu tamen amiſſo nonnumquam flebis amico.*
*Fas eſt praeteritos ſemper amare viros.*
*Teſtis, qui niveum quondam percuſſit Adonin,*
*Venantem Idalio vertice, durus aper.*

*II.*

*Illis formoſum* jacuiſſe *paludibus*, *illuc*
*Diceris effuſa tu*, *Venus*, *iſſe coma.*

De verſu 53. variae ſunt virorum doctorum conjecturae. Certe non apparet, quomodo aper, qui percuſſit Adonin, poſſit teſtari, fas eſſe *amare viros amiſſos.* Neque tamen Adonis hujus rei teſtis eſſe poteſt, quae ſententia erat Marklandi, ſed ipſa Venus, quemadmodum recte judicavit Burmannus, qui ea de cauſa legit;

*Teſtis*, quum *niveum quondam percuſſit Adonin*,
*Venantem Idalio vertice*, dirus *aper*,
*Illis formoſum* planxiſſe *paludibus*, ——

Nimis contorte! Nam tali verborum ſtructura teſtimonium apri minime evitatur, quamquam id efficere voluerit Burmannus. Vs. 55. Codex Vallier. exhibet *fleviſſe*, quae lectio retinenda eſt, donec meliora aliquis edoceat. Reſpondet ea ſaltem vs. 51, *amiſſo nonnumquam* flebis *amico.* *Flere* de graviori luctu quoque dictum II, XVI, 1; *Quid fles abducta gravius Briſeide? quid fles Anxia captiva triſtius Andromacha? &c. Ita* κλαίειν de eadem re in Theocrit. Idyll. XX, 35, αὐτὸν Ἄδωνιν Ἐν δρυμοῖσι φίλασε, καὶ ἐν δρυμοῖσιν ἔκλαυσεν. Quare locum ita legendum puto:

*Teſtis*, cui *niveum quondam percuſſit Adonin*,
*Venantem Idalio vertice, durus aper.*
Illic *formoſum* fleviſſe, *paludibus illis*
*Diceris effuſa tu, Venus, iſſe coma.*

Ita Prop. III, IX, 15.

*Aurea* cui *poſtquam nudavit caſſida frontem.*

Literae C & Q alibi quoque permutatae videntur. e g. Libr. II. XVIII, 13.

*Quaeris, Demophoon, cur ſim tam mollis in omnes?*
*Quod quaeris,* QUARE *non habet ullus amor?*

Burmannus, cui verſus minor haud immerito obſcurior videbatur, emendavit; *quare* nos *habet ullus amor*? Quam emendationem veriſſimam putans, Jacob. Henr. Hoevfft Pericul. Poetic. Faſcic. III. p. 243, vel ſic, nondum ſanatum eſſe vulnus arbitratur. Neque enim, inquit, idoneus efficitur ſenſus, niſi & inſuper pro *quod* legatur *hoc*, ut dicat poeta: „ quaeris, cur omnes feminas amem; hoc perinde „ eſt, ac ſi queras, quare umquam ullam amem; „ ita enim a natura ſum factus, ut numquam ſine „ amore eſſe poſſim." At quo tandem vinculo hic verſus, ita emendatus, cum ſequenti diſticho copulabitur? Tota res peragenda leviſſima correctione:

*Quod quaeris,* CURAE *non habet ullus amor!*

Hoc

hoc ſenſu: Quaeris *rationem*, cur ſim tam mollis in omnes! At o bone! non eſt rationis Amor, (Sabin. Epiſt. III, 17.), quod quaeris, nihil curat, nihil penſi habet ullus amor;

*Cur aliquis ſacris laniat ſua brachia cultris,*
*Et Phrygis inſanos caeditur ad numeros?*

Ita omnia optime cohaerent! Virgil. Aeneid. IV. 520.

— *tum, ſi quod non aequo foedere amantes*
Curae *numen* habet *juſtumque memorque, precatur.*

Sueton. Aug. 48. *nec aliter univerſos, quam membra, parteſque imperii*, curae habuit.

Lib. II. XVII 13.

*Sic a Dulichio juvene eſt eluſa Calypſo.*
*Vidit amatorem* pandere *vela ſuum.*

Homer. Odyſſ. V. 269.

γηθόσυνος δ' οὔρῳ πέτασ' ἰφία δῖος Ὀδυσσεύς.

Verſum breviorem Mitſcherlich. Lect. in Catull. & Propert. p. 164, ita legit:

*Vidit* ubi ardorem *pandere vela ſuum.*

Nam *amatorem*, inquit, e margine, cui, *ardoris* explicandi gratia, adlitum fuerat, in textum migraſſe, ſtatim in oculos incurrit. *Ardor*, *ignis*, de eo, qui

amatur, dicitur, more pervulgato. — Si quid mutandum, quidni potius legamus:

*Vidit amatorem* nam dare *vela ſuum.*

Plane ita Propert. Lib. III. XVIII. 1, dixit:

*Credis eum jam poſſe tuae meminiſſe figurae,*
Vidiſti *a lecto quem* dare vela *tuo?*

Ovid. Her. XVI, 120.

*Cum vellent noſtrae jam dare vela rates.*

Lib. II. XVII. 77.

*Et quas Euphrates, & quas mihi miſit Orontes*
*Me capiant: nolim furta pudica tori.*

Rufinus in epigrammate, quod edidit & ſub cenſuram vocavit Schneider. Peric. Criti. p. 2.

Μᾶλλον τῶν σοβαρῶν τὰς δύυλιδας ἐκλεγόμεσθα,
Οἱ μὴ τοῖς σπατάλοις κλέμμασι τερπόμενοι.
Ταῖς μεν χρωὸς ἀπόδωδε μύρου, σοβαρὸν τε φρύαγμα,
Καὶ μέχρι κινδύνων ἑσπομένη σύνοδος.
Ταῖς δὲ χάρις καὶ χρωὸς ἴδιος καὶ λέκτρον ἕτοιμον,
Δώρων καὶ σπατάλης οὐκ ἀλεγιζόμενον.

Conveniunt haec cum reliquis Propertii verbis inde a verſu 69. l. c.

Cau-

*Contra rejecto quae libera vadit amictu,*
*Cuſtodum & nullo ſepta* tumore, *placet.*
*Cui ſaepe immundo ſacra conteritur via ſocco,*
Nec ſinit eſſe moram, *ſi quis adire velit.*
Differet *haec numquam, nec poſcet* garrula, *quae te*
*Adſtrictus ploret ſaepe dediſſe pater.*
*Nec dicet, Timeo, propera jam ſurgere, quaeſo:*
*Infelix, hodie vir mihi rure venit.*

Pro *tumore* edidit Burmannus *timore*, quae omnium codicum lectio eſt. Praeferendum tamen videtur *tumore*, quod illuſtrat Heliodori locus, a Barthio ad h. l. citatus, lib. 7. σωματοφυλάκων πομπεία ὑπέρογκος. Ita ὄγκος dictum videtur ab Eurip. Troad: 1c8.

Ὦ πολὺς ὄγκος συστελλομένων
Προγόνων, ὡς οὐδὲν ἦσθ' ἄρα.

*Differet haec numquam nec poſcet garrula* —

Interpretes τὸ *differet* vulgo accipiunt pro, *promiſſis te ducet*, atque *eludet*. At vix praeceſſerat: *Nec ſinit eſſe moram, ſi quis adire velit!* Quare hoc verbum hic interpretari malim per, *diffamare*, quo ſenſu illud Propertius adhibuit I. IV, 22.

*Et te circum omnes alias irata puellas*
Differet: *heu nullo limine carus eris.*

Plane ita Graeci verbo, ἐνδατεῖσθαι, quod proprie valet *dividere*, utuntur pro λοιδορεῖν, *conviciis incessere, infamare.* Vide Brunck. ad Sophocl Trachin. 791.

τὸ δυσπάρευνον λέκτρον ἐνδατούμενος
σοῦ τῆς ταλαίνης, καὶ τὸν Οἰνέως γάμον —

Atque hac noſtra interpretatione admiſſa, ſimul vindicatur vulgata lectio, *garrula*, cui ſubſtituit Schraderus, *grandia.* Senſus enim eſt: Numquam haec te *garrulitate ſua* differet, nec *ſaepius* munera poſcet. Neque hoc epitheton ſede ſua movendum videtur, licet alteram hujus verſus explicationem praeferas, cui favet Philodemi epigramma, quod emendavit Toup. Emend. in Suid. p. 260.

— — — Καὶ παρέχουσα
Πάντα, καὶ αἰτῆσαι πολλάκι φειδομένη.

Horat. Serm. I. 2. 121.

*Gallis hanc, Philodemus ait; ſibi, quae neque magno*
*Stet pretio, neque cunctetur, cum eſt juſſa, venire.*

De quo loco vide Reiskii Antholog. Cephal. p. 137. Mirifice autem & Propertii Elegia & Ruſini epigramma illuſtratur memorato modo Horatii carmine e. g. verſ. 94. ſeqq.

Ma-

*Matronae praeter faciem nil cernere poſſis,*
*Cactera, ni Catia eſt, demiſſa veſte tegentis.*
*Si interdicta petes*, vallo circumdata (*nam te*
*Hoc facit inſanum*) *multae tibi tum efficient res:*
*Cuſtodes, lectica, ciniflones, paraſitae,*
*Ad talos ſtola demiſſa, & circumdata palla.*

Hinc lux accenditur Agathiae epigrammati VIII. Anal. T. III p. 36.

Η γεᾶυς ἡ Φθονερὴ παρεκέκλιτο γείτονι κούρῃ
δόχμιον ἐν λέκτρῳ νῶτον ἐρεισαμένη,
προβλὴς ὥς τις ἔπαλξις ἀνέμβατος. διὰ δὲ πύργος
ἔσκεπε τὴν κούρην ἁπλοΐς ἐκταδίῃ. ——

Ita verſum 3 emendavit Salmaſius, cum anteà legeretur, διὰ δὲ πηγὶ & πυγὶ. Cujus ſententiam non video cur exploſerit Orvillius ad Charit. p. 101. Saepius poetae tam graeci quam latini verba tranſtulerunt a locis munitis ad has res amatorias. Hinc Horatius *interdicta* ea *vallo circumdata* dixit. Homerus quoque conjunxit ἔπαλξις & πύργος Iliad. XII, 430.

Πάντῃ δὴ πύργοι καὶ ἐπάλξιες αἵματι φωτῶν
Ἐρράδατ' ἀμφοτέρωθεν ἀπὸ Τρώων καὶ Ἀχαιῶν.

Idem de hoc Agathiae loco ſtatuit Schneider. Peric. Critic. p. 28. Orvillii tamen ſententiae acceſſit Brunckius l. c. & in textum recepit conjecturam

Toupii, ὅια δ' ἐπ' ἦρι, *veluti verno tempore.* Ceterum cum Propertio insuper comparandum Epigramma Martial. IX, 33.

*Hanc volo, quae facilis, quae* palliolata *vagatur,*
*Hanc volo, quae puero jam dedit ante meo.*
*Hanc volo, quam redimit totam denarius alter,*
*Hanc volo, quae pariter sufficit una tribus.*
Poscentem *nummos & grandia verba sonantem*
*Possideat crassi mentula Burdigali.*

Ultimum distichon egregie illustrat, quod in Rufini epigrammate dicitur, σοβαρὸν φρύαγμα.

Lib. II. XIX. 55.

*Sed tamen* & scabra *teritur robigine mucro*
*Ferreus, & parvo saepe liquore silex.*

Codex Vallier. v. 55. quoque exhibet: *Sed tamen* obsistam, quam lectionem verissimam censuit Hemsterhusius. Vulgata tamen nititur auctoritate Catulli in Eleg. ad Manl. v. 151.

*Ne vestrum scabra tangat rubigine nomen*
*Haec atque illa dies, atque alia, atque alia.*

Lib. II. XXIII. 72.

*Nuper enim de te nostras* me laedit *ad aures*
*Rumor, & in tota non bonus urbe fuit.*
*Sed* tu *non debes inimicae* credere *linguae.*

Ita

Ita hi verſus in Cod. Vallier. leguntur. Praefert Burmannus Codicis Groningani ſcripturam: *noſtras pervenit ad aures*, quae mihi quidem glosſam ſapere videtur. Vide, an locus ita legendus:

*Nuper enim de te noſtras* praecedit *ad aures* —

quod optime reſponderet diſticho antecedenti:

*Sed de me minus eſt: famae jactura pudicae*
*Tanta tibi miſerae, quanta mereris, erit.*

De qua re ne dubitet Cynthia, addit Propertius, rumorem iam praeceſſiſſe ad aures. *Nuper* hic eſt recentiſſime. Terent. Heaut. *Nuper notitia admodum eſt.* unde hic additur praeſens *laedit*, aut *praecedit*, quemadmodum emendavimus. V. Barth. V. Cl. ad h. l. Ovid. Metam. IX. 136.

*Victor ab Oechalia Cenaeo ſacra parabat*
*Vota Jovi, cum* Fama *loquax* praeceſſit ad aures,
*Dejanira, tuas, (quae veris addere falſa*
*Gaudet, & e minima ſua per mendacia creſcit)*
*Amphitryoniaden Joles ardore teneri.*
Credit *amans.*

Lib. III. I. 1.

*Callimachi manes & Coi* ſacra *Philetae,*
*In veſtrum, quaeſo, me ſinite ire* nemus.

*Ma-*

*Manes* & *sacra* defunctorum poetarum Callimachi & Philetae tam arcte conjunxit Propertius, ut facile intelligatur, *sacra* hic non esse poemata, communem poetis cultum, quod Broukhusius putavit, cujus sententiae vel obstat, quod sequenti versu commemoratur, *nemus*. Neque altera ejus interpretatio h. l. admitti potest, qua per sacra Manes ipsos significari statuit. Nam exempla, quibus probare studuit, Deos, in quorum numero & Manes habiti sint, *sacra* a poetis appellari, neutiquam id, quod voluit vir doctissimus, probant. Propius a veritate abest, quod tertio loco annotavit, *nemora* addita fuisse virorum clarorum sepulcris, & *sacra* & sacerdotes. Nimirum ita de sedibus beatorum jam fabulati erant Graeci, ut apparet e mytho Platonico Phaedon. p. 251. edit. Bipont. καὶ δὴ καὶ θεῶν ἄλση τε καὶ ἱερὰ αὐτοῖς εἶναι. ἐν οἷς τῷ ὄντι οἰκητὰς θεοὺς εἶναι, καὶ φήμας τε καὶ μαντείας καὶ αἰσθήσεις τῶν θεῶν· καὶ τοιαύτας συνουσίας γίνεσθαι αὐτοῖς πρὸς αὐτούς. Quem locum egregie illustravit elegantissimus Wyttenbach. Biblioth. Crit. Vol. III. P. I. p. 65. Dubito tamen, an hoc sensu *sacra* hic a Propertio adhibita sint. Satius est intelligere loca ipsa, in quibus Manes habitare putabant Veteres, quibusque sanctitatem eos tribuisse, in vulgus notum. *Sacra sepulcra* saepius invenias. Catullus:

*Et Batti veteris sacrum sepulcrum.*

Ci-

Digitized by Google

Cicero Philipp. 9. *Sepulcrorum* ſanctitas *in ipſo ſolo eſt, quod nulla vi moveri neque deleri poteſt. atque ut cetera extinguuntur, ſic ſepulcra fiunt* ſanctiora *vetuſtate.* Accedit locus Euripidis, Troad. 95. ſeqq. ubi ſepulcra, ἱερὰ, *ſacra*, τῶν κεκμηκότων appellantur:

Μᾶχος δὲ, θνητῶν ὅστις ἐκπορθεῖ πόλεις,
Ναούς τε, τύμβους θ', ἱερὰ τῶν κεκμηκότων,
Ἔρημία δοὺς, αὐτὸς ὤλεθ' ὕστερον.

III. II. 41.

Nil tibi ſit *rauco praetoria claſſica cornu*
*Flare, nec Aonium cingere Marte nemus.*

Elegans eſt emendatio Paſſeratii, legentis: *Ne tibi ſit flare.* Ita Propertius ſupra I, 20. 13.

Ne tibi ſit *duros montes & torrida ſaxa,*
*Galle, neque expertos ſemper* adire *lacus.*

Haec quoque graeca eſt loquendi ratio. Theocrit. Idyll. VIII. 53. Μὴ μοι γᾶν Πέλοπος — εἴη ἔχειν. Paſſeratii conjecturam & Fonteinio placuiſſe video. Conf. Heſiod. Scut. Herc. 98.

Μηδὲν ὑποδδείσας κτύπον Ἄρεος ἀνδροφόνοιο,
Ὅς νῦν κεκληγὼς περιμαίνεται ἱερὸν ἄλσος
Φοίβου Ἀπόλλωνος ἑκατηβελέταο ἄνακτος.

Stat.

Stat. Theb. VII, 630:

—— —— *dum Marte propinquo*
*Horrent Tyrrhenos Heliconia plectra* tumultus.

III. XII. 13.

*Et modo Taygeti crines adſperſa pruina*
Sectatur *patrios per juga longa canes.*

Lectionem *ſectatur* primus ſollicitavit Scrader. Emend. cap. VIII. p 160. ubi: Quid? inquit, an venatrices *ſequuntur canes*? quis vidit, aut ſcripſit? Apud Virgilium quidem, Gratium, Ovidium &c. venatores leguntur *ſequi*, *ſectari*, *conſequi feras*. Hinc reponendum cenſet:

Hortatur *patrios per juga longa canes.*

Apparet, Schraderum rei venaticae plane ignarum fuiſſe, cum neſciret, venatores ſaepius canes ſuos praemittere, ut feras latitantes inveſtigent, quas deinde ipſi interficiant. Quare Callimacho in Dian. 96, canes dicuntur:

—— —— καὶ ὑστριχος ἔνθα καλιαὶ
Σημῆναι, καὶ ζοργὸς ἐπ' ἴχνιον ἡγήσασθαι.

Fortaſſe ita quoque intelligendus locus difficilis Eurip. Hipp. 1127.

Ὦ

Ὦ ψάμαθοι πολίητιδος ἀκτᾶς,
Δυμὸς τ' ὄρειος, ὅθι κυνῶν
Ὠκυπόδων ἐπέβας,
Θεᾶς μέτα θῆρας ἐναίρων
Δίκτυναν ἀμφί σεμνάν.

Quae faciunt, ut vulgatam lectionem, quae in omnibus eſt Codd. & editionibus, retinendam putem.

III. XX. 25.

*Illic vel* ſtudiis *animum emendare Platonis*
*Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis.*
*Perſequar aut ſtudium linguae, Demoſthenis arma,*
*Librorumque tuos, docte Menandre, ſales,*
*Aut certe tabulae capient mea lumina pictae,*
*Sive ebore exactae, ſeu magis aere manus.*
*Aut ſpatia annorum, & longa intervalla profundi*
*Lenibunt tacito vulnera noſtra ſinu.*

In toto Propertii volumine vix locum reperias, majori difficultate laborantem. Adeo ille librariorum incuria depravatus eſt! Primum lectio *ſtudiis* v. 25. quamquam omnes Codd. Mſſ. & vetuſtae Editiones eam tueantur, vel eo nomine ejicienda eſt, quia explicari non poteſt per *in* ſtudiis, cum tamen vocabulo *hortis* ſequenti verſu nullum ſubſtantivum hic jungere liceat, niſi cujus ablativus pariter ab *in* pendeat, neque adeo aliud, quam quo locus aliquis deſignetur.

At-

Atque hunc locum usitato quodam inter Romanos & scholae Platonicae proprio nomine a poeta nostro designatum esse, ex eo colligere licet, quod altero versu locum, ubi Epicurus docuerat, *hortorum* nomine insignivit, quo schola ejus ab aliis distinguitur. An Broukhusius illud nomen eruerit, corrigendo *stadiis*, valde nos cum b. Fonteinio dubitamus, cujus egregiam ad hunc locum observationem, temperare non possum, quin cum Viris doctis communicem; ut quam omnino spem de hujus viri commentariis concipere liceat, unico specimine peculiariter expolito judicari possit. Ita nimirum ille: „ In omnibus Codd. Mss. & vetustis Edd. legitur *studiis*, qnod Editores ante Broekhusium nimis patienter tulerunt, quum locutionem *studiis Platonis*, pro, studiis philosophiae Platonicae, consuetudo Latina non probet. *Platonem* pro libro a Platone conscripto, saepius, pro philosophia Platonica nusquam, apud Veteres reperias. Hinc *Platonem legere*, recte dixeris; *animum emendare Platone*, non item: quod argumento est, nec *studiis Platonis* hic admitti posse. Id autem quamquam Broekhusius non animadvertit, *studiis* tamen mutavit in *stadiis*, sed hanc ob caussam, quod altero abhinc versu iterum *studiis* occurrat. Quae ratio etsi apud correctorem Propertii non semper multum valere debet, sola tamen ansam praebuit conjecturae, quae ei tantopere placuit, ut illud *stadiis*, tamquam haud dubie genuinum, in ipso contextu ponere non dubita-

Digitized by Google

saverit. Idque probavit Vulpius, quippe qui, licet Criticorum conjecturas non facile in contextum admittere soleat, hanc tamen lectionem in eodem retinuit. Accessit nuper Toupius, qui in Addend. ad Theocrit. Wart. p. 400, eandem adfirmare conatus est verbis Eupolidis,

Ἐν εὐσκίοις δρόμοισιν Ἀκαδήμου θεοῦ,

quibus colorem tam blandum ei conciliavit, ut forte non nisi pauci futuri sint, qui eam in dubium vocent. In illis tamen paucis quid vetat & me esse, dummodo rationes, quae adsensum meum morantur, tibi approbavero. Puto autem vocem *stadium* huic loco non convenire. Quum hic non tantum de Platone sermo sit, sed & de *hortis*, in quibus Epicurus docere solitus erat, indeque apertum sit, Poëtam similiter hic locutum esse de loco, in quo Plato docuit, *stadiorum* voce viri docti hic scholam ejus in Academia intellexerunt, qui locus, in Athenarum suburbio, Propertii, certe Ciceronis, aetate, ut paullo post videbimus, adhuc notus erat. Sed, hac interpretatione admissa, oratio non satis foret concinna. Quum enim Poëta locum, in quo Epicurus docere solebat, propria quadam ratione *hortorum* nomine designaverit, omnino existimari debet, locum, in quo Plato docuit, pariter quoque ejusmodi appellatione insigniisse, qua ab aliis scholis distingui posset,

quum tamen *ſtadii* appellatio non magis Platonis quam Epicuri ſcholam indicet, quippe communis, & quibusvis philoſophorum aut rhetorum ſcholis aeque conveniens. Neque hac ſola difficultate premitur iſta lectio, quum etiam Latinitatis rationi repugnet. Licet enim Romani vocabulum *ſtadium* pro loco exercitii, eoque ſenſu pro ſchola adhibuerint, in eo tamen metaphorico uſu non reſpexerunt ad monita, quibus athletae a *ſtadiorum* magiſtris ad certamina erudiebantur, ſed ad ipſa athletarum certamina, in iisdem fieri ſolita; atque adeo, ubi de *ſtadiis*, figurato iſto ſenſu, loquuntur, ea non attribuunt philoſophis aut rhetoribus, ſcholarum magiſtris, quos cum ſtadiorum magiſtris comparare noluerunt, ſed eorum diſcipulis, eamque appellationem unice referunt ad illa artium vel ſermonum certamina, quibus hi inter ſe contendere ſolebant. Hinc nusquam legas de *ſtadio Ariſtotelis*, *Zenonis*, *Iſocratis*, *Gorgiae*, aliorumve philoſophorum aut rhetorum, ſed eorum diſcipuli recte dicuntur, *in ſtadium prodire*, *in ſtadium deſcendere*, ut videlicet inter ſe, velut athletae, de victoria contendant. Quo ſatis apparet, neque hic de *ſtadiis Platonis* a Propertio mentionem fuiſſe factam; eoque minus, quia *ſtadia Platonis* etiam ſtadia philoſophiae Platonicae ſignificare nequeunt, quemadmodum liquet ex illis, quae ſupra de uſu nominis *Platonis* obſervavimus. Quum tamen nihilominus Poëta locutus ſit de loco, in quo Plato docuit,

Digitized by Google

cuit, & concinnitas orationis postulet, ut eum, non minus quam Epicuri scholam, propria quadam appellatione a reliquis distinxerit, ejusmodi nomen hic indagandum est, quod isti proposito melius respondeat. Id autem reperire, ni fallor, licebit, modo istius loci formam paullo propius inspiciamus. Nempe, ut Epicuri schola erat in *horto*; sic Platonis villa erat in Academiae *nemore*, quod *sylvas Academi* vocavit Horat. II. Epist. 2, vs. 45, qui ea locutione proculdubio respexit ad ea ipsa Eupolidis verba, quae modo laudavimus; nec tamen propterea censendus est pro δρόμοσιν legisse δρυμοῖσιν, quod putavit Meurs. Exerc. Crit. II. 12; quoniam ea lectio metro repugnat; sed ἐν εὐσχίοις δρόμοισιν vertisse per *inter sylvas*, scilicet *ambulando*; atque adeo per δρόμους non intellexisse *stadia*; quomodo accepit Toupius, sed *ambulationes*, quo sensu ea vox apud Graecos etiam adhibetur, ut vel ex eorum ξυστοῖς δρόμοις notissimum est. Unde apparet, in Academia fuisse *ambulationes*, grata arborum umbra amoenas. In his autem frondeis, ut ita dicam, porticibus & περιπάτοις Plato cum suis discipulis, ut paullo post ex Cicerone videbimus inter ambulandum disputare erat solitus: quo etiam spectat elegans Alexidis jocus apud Diog. Laërt. III. 27, ubi mulierem quandam haec facit dicentem:

Εἰς καιρὸν ἥκεις· ὡς ἔγωγ' ἀπορεμένη,
Ἄνω κάτω τε περιπαλοῦσ', ὥσπερ Πλάτων,
Σοφὸν οὐδὲν εὕρηκ'.

Quum vero Platonis, ut ut a Comicis saepius vexati, summa esset & auctoritas & fama, hinc factum videtur, ut illae ipsae Academiae *ambulationes* non tantum omnium ore celebrarentur, sed & ἀι τοῦ Πλάτωνος περίπαλοι vulgo appellarentur. Quamquam enim hoc totidem verbis a veteribus non proditum est, colligere tamen licet tum ex verbis Ciceronis, paullo post memorandis, tum etiam ex notissimo Peripateticorum nomine, quod inde haud dubie fuit derivatum. Licet enim Aristotelici in Lyceo, ut Plato in Academia, disputarent *inambulantes*, inde tamen Peripatetici non fuerunt dicti, sicuti nec *ambulatorum* nomen ingeniis Atticis eo sensu placere potuisset, sed quum eorum secta Platonicis principiis originem suam deberet, nec nisi nomine, ut ait Cic. Acad. I, 4. II, 5, a Platonicis differret, Peripateticorum nomen non illibenter adoptarunt, quia id Lycei sui porticus celeberrimis illis Platonis περιπάτοις quodammodo aequare, ejusque nominis gloriam cum iisdem communicare videretur. Hoc ipsum tamen indicio est, Academiae illas περιπάτους, quum isti nomini occasionem dederint, jam antea quodammodo *nominis proprii* locum obtinuisse, quo Platonis schola a reliquis distingueretur. Unde proclive est cogitare,

de

de iis hic quoque locutum fuisse Propertium, praesertim quum *horti* illi Epicuri, quorum perinde meminit, tale quid plane requirant. Hoc autem eo magis credibile fit, quia vocabulum *studiis*, quod haud dubie corruptum, nec tamen, ut vidimus, in *stadiis* mutandum est, levi admodum correctione refingi potest in *spatiis*, quo nomine illae περίπατοι commode denotantur. Etsi enim vox *spatium*, vetustissimis temporibus, judice Scaliger. ad Eleg. in Obit. Maecen. vs. 128, nihil aliud significavit, quam στάδιον, quippe a forma ejus Aeolica σπάδιον profectum, Propertii tamen aetate usus apud Romanos jam invaluerat, ut *stadium*, ubi de certo aliquo loco sermo esset, non nisi ad certamina, in eo fieri solita, ut supra jam monuimus, referretur, *spatii* vero nomen non usurparetur nisi in genere de curriculis amplioribus, & speciatim de porticibus, similibusque otiosorum hominum ambulationibus: sicuti nec *spatiari*, ea aetate, adhibitum fuit de iis, qui in stadio cursu decertabant, sed tantum de his, qui in porticibus, aliisve locis amoenis, sive plane otiosi, sive etiam meditabundi, deambulabant: quam significationem, ut nosti, Heins. Adverss. II, 18, & Broekhus. ad Propert II. XXIII. 3, jam ita illustrarunt, ut eorum observatis quidquam addere velle, supervacaneum foret. Quare vix dubitandum videtur, quin Poeta scripserit *spatiis Platonis*, quae, ut vides, *hortis* illis Epicuri eleganter respondent. Sic *spatia*

*Platonis* nihil aliud hic significabunt, quam Academiae *spatia*, a *Platone* ita denominata, quae eadem ratione ab Eupolide dicta fuerunt δρόμοι Ἀκαδήμου θεοῦ, quia Academia ipsa ab illo heroe nomen accepit. Ad quam normam etiam apud Romanos *spatia Argonautarum*, in Campo Martio, quorum meminit Martial. III Epigr. 20, nomen adeptae sunt ab Argonautis, quorum historia illic in porticibus erat depicta." Tantum de hoc loco disputavit Fonteinius, in quo nemo doctrinae elegantiam, aut judicii ἀκρίβειαν desideret! Neque quisquam facile invenietur, cui ista emendatio *spatiis* pro *studiis* non verissima videatur. Quae quamquam a Broukhusio quoque in notis MSS., uti ad hunc locum annotavit Burmannus, proposita est, inventionis tamen laus Fonteinio denegari non potest, quippe cujus Observationes ante scriptae sunt, quam Burmanni Editio prodiret. Ingeniosa porro est ejusdem conjectura, qua *Peripateticorum* appellationem ab ipsis Platonis περιπάτοις derivare conatus est. De cujus nominis vera ratione, jam inter Veteres fuerunt, qui dubitarent, uti patet ex Hermippo apud Diog. Laert. V, 2. Plerique tamen censuerunt, Aristotelicos ita dictos fuisse ab illis περιπάτοις, in quibus Aristoteles, Theophrastus, Lycon, aliique, ad Platonis exemplum, disputare solebant inambulantes. Sed id quidem credibile non est, quia nomen fuit honorificum, ut liquet ex pseudo-Galeno, in Philosophica Historia, laudata

Menag.

Menag. ad Diog. Laert. I, 17, ubi ſcribit, Ariſtotelis doctrinam eo καταξιωθῆναι, cum tamen intelligi nequeat, quo pacto honorificam ſibi ducere potuerint appellationem, quae nihil aliud ſignificaret, quam philoſophos, *inter ambulandum* in ſuis *porticibus* diſputare ſolitos, quod a nugaciſſimis quibusvis perinde fieri poterat; ſicuti nemini unquam in mentem venit, Platonem ejusque diſcipulos, qui primi omnium ἐν περιπάτοις diſputabant inambulantes, Peripateticorum nomine, honoris cauſa, inſignire. Nam quod recentior philoſophus Ammonius ſcribit apud Caſaub. ad Diog. Laert. V, 2, Platonis ſectatores fuiſſe appellatos τοὺς ἐξ Ἀκαδημίας περιπατητικοὺς, Ariſtotelis vero τοὺς ἐκ Λυκείου, illosque poſtea tantum Ἀκαδημικοὺς fuiſſe dictos, cum hi περιπατητικῶν ſibi ut propriam vindicaſſent appellationem, non tantum nulla nititur veterum auctoritate, ſed & omne illud honorificum tollit, quod Ariſtotelici ſemper in ea appellatione, ut ab Athenienſibus ipſis profecta, agnoverunt. Quare nihil aliud reſtat, quam ut nominis hujus rationem & originem ab ipſis Academiae περιπάτοις, quibus Plato tantam nominis gloriam conciliavit, repetamus. Id autem commode fieri poterit, ubi originem ſcholae Ariſtotelicae ad animum revocaveris. Erat nempe Ariſtoteles, ut prudentiſſimus & doctiſſimus vir, ſic inter primos Platonis diſcipulos. Cum vero Plato, ſcholae ſuae ſucceſſorem conſtituiſſet Speuſippum, cui, cum Ariſto-

teles e Macedonia Athenas rediret, jam succesſerat Xenocrates, tardioris ingenii homo, id aegre ferens Ariſtoteles ſimiliter ſcholam aperuit, non quidem in Academia, ubi Xenocrates docebat, ſed in Lyceo, alio Athenarum ſuburbio, ubi, ad Platonis exemplum, etiam ἐν περιπάτῳ diſputare inſtituit, eum, ut videtur, in finem, quo experiretur, an Platonicarum περιπάτων gloriam ad ſe transferre valeret. Huic autem conatui reſpondit ſucceſſus, ibique tanta cum admiratione auditus eſt, ut vulgo dicerent, *illum debuiſſe ſuccedere Platoni*, quippe unice *aptum*, qui gloriam τῶν περιπάτων Platonis ſuſtentaret & perpetuaret. Itaque περιπατητικὸν vulgo appellarunt, quomodo μιμητικοὺς, ποιητικοὺς etc. dicebant, qui inprimis apti erant ad imitationem, ad poeſin, etc. Hoc autem nomen poſtea Ariſtotelici adoptaſſe videntur tamquam ſuae ſectae characteriſticum, quo ſimul famam τῶν περιπάτων Academicarum perpetuam reddiderunt. ——

Jam iſtas Academiae περιπάτους Romani proprio nomine *ſpatia* appellarunt, quemadmodum Graeci, e. g. Eupolis, eas ſubinde δρόμους appellant; quae duo verba ſibi invicem reſpondent. Timaeus v. Δρόμοι. ἢ περίπατος. Quandoquidem vero variae *ſpatii* ſignificationes, quatenus eae cum graeco verbo δρόμος congruunt, nondum ſatis explicitae ſunt, haud alienum videatur, eas, quam breviſſime id fieri poſſit, hic expromere. Igitur *ſpatium* I) ſignificat

in

in universum planitiem camporum, montibus non interruptam; quae tamquam forma est, qua reliquae significationes continentur. Eadem est ratio verbi δρόμος. Luculentum exemplum suppeditat Homer. Od. Δ. 601.

Ἵππους δ' εἰς Ἰθάκην οὐκ ἄξομαι, ἀλλά σοι αὐτῷ
Ἐνθάδε λείψω ἄγαλμα. σὺ γὰρ πεδίοιο ἀνάσσεις
Εὐρέος, ᾧ ἔνι μὲν λωτὸς πολὺς, ἐν δὲ κύπειρον,
Πυροί-τε, ζειαί τε, ἰδ' εὐρυφυὲς κρῖ λευκόν.
Ἐν δ' Ἰθάκῃ οὔτ' ἄρ δρόμοι εὐρέες, οὔτε τι λειμών.

Quem locum ita transtulit Horat. I. Epist. VII, 41.

*Haud male Telemachus, proles patientis Vlyssei,*
*Non est aptus equis Ithacae locus, ut neque* planis
Porrectus spatiis, *neque multae prodigus herbae.*
*Atreide, magis apta tibi tua dona relinquam.*

II.) Deinde significatio *spatii* traducta est ad loca magis definita, quae ambulationi aut cursibus destinata erant. Hinc primum valet *ambulacrum.* Cicer. de Legib. I, 4. *Quin igitur ad illa* spatia *nostra sedesque pergimus? ubi cum satis erit deambulatum, requiescemus.* Ibid. 5. *Visne igitur, ut ille Cretae cum Clinia, & cum Lacedaemonio Megillo, aestivo, quemadmodum describit, die,* in cupressetis Cnosiorum, & spatiis sylvestribus, *crebro insistens, inter-*

*dum acquiescens, de institutis rerum publicarum ac de optimis legibus disputat: sic nos inter has proceriſſimas populos, in viridi opacaque ripa inambulantes* &c. Haec *ſpatia ſylveſtria* Ciceronis in mentem revocant Eupolidis verſum, ἐν εὐσκίοις δρόμοισιν Ἀκαδήμου θεοῦ, eamque lectionem ſimul ſtabiliunt. Hinc *Spatia Platonis*, quae Propertio reſtituit Fonteinius. Nam licet δρόμοι ſaepius etiam denotent *ſtadia*, in quibus *curſu* certatur, Eupolis tamen Academiae *ambulacra* intelleXiſſe videtur, Ciceroni quoque *curricula* dicta, Orat. cap. 3. *Fateor, me oratorem non ex rhetorum officinis, ſed* ex Academiae ſpatiis *exſtitiſſe: illa enim ſunt* curricula *multiplicium variorumque ſermonum*, in quibus Platonis primum impreſſa ſunt veſtigia —— Ita etiam interpretor *Academiae non ſine cauſa nobilitata ſpatia*, apud Cicer. de Finib. B. & M. c. I. quibus decurſiones equeſtres, haberi ibi ſolitas, deſignari putavit Erneſti. Intelliguntur potius *ambulationes* iſtae, ſive περίπατοι, quas Plato nobilitavit. Quoniam vero vocabulum δρόμος de *ſtadio* quoque dicitur, hinc metaphora ducta eſt, ἐκτὸς δρόμου φέρεσθαι e. g. apud Platon. Cratyl. p. 269. F. Ὦ γὰρ ἐπισκοπεῖς με ὥσπερ ἐκτὸς δρόμου φερόμενον, quod ſimile eſſe notiſſimo, *extra oleas vagari*, docuit Ruhnkenius, Vir ſummus, ad Timaei Lexic. Plat. p. 89. At eodem plane modo Latini dicunt, *de ſpatio deflectere*, *auferri*. Liv. XXXV, 40, abſtulerunt me velut de ſpatio *Graeciae res immiſtae Romanis*.

Cicer.

Cicer de Amicit. 12. deflexit de ſpatio curriculoque *conſuetudo majorum.*

III.) Tranſlatum denique verbum *ſpatii* ad ipſam ambulandi actionem, ſtadiique decurſum, propius adhuc accedit ad primitivam graeci verbi δρόμος ſignificationem. Cicero de Orat. I, 7. *Cum — in ambulationem ventum eſſet, dicebat tum, Scaevolam*, duobus ſpatiis tribusve factis, *dixiſſe: Cur non imitamur, Craſſe, Socratem illum, qui eſt in Phaedro Platonis?* &c. Ita Plato Euthyd. p. 215. D. εἰσελθόντε δὲ περιεπατείτην ἐν τῷ καταφεύγῳ δρόμῳ. καὶ οὔπω δυ' ἢ τρεῖς δρόμους περιεληλυθότε ἦσαν. V. Ruhnken. ad Timaeum. l. c. De ſtadii decurſu dictum Virgil. Georg I, 512.

*Vt cum carceribus ſeſe effudere quadrigae,*
*Addunt in* ſpatia, ——

quod Heynius ita explicuit: *Addere ſe* pro ſimplici, dare ſe, immittere ſe, ruere in decurſum, cum impetu ferri in *ſpatia*, in decurſum; & comparavit Homer. Iliad. Ψ. 375, ἵπποις τάδη δρόμος. Voſſius contra, nuperus Virgilii interpres, *addere in ſpatia* ἐλλειπτικῶς dictum putat, pro, *addere ſpatiis*, repetendo ea ſcilicet. Nam plures decurſus faciendi erant iis, qui in ludis Circenſibus certabant. Quae interpretandi ratio Heynianae praeferenda videtur. Atque hinc apparet, quomodo Latini ad temporis lapſum aut curſum deſignandum, etiam *ſpatii* vocabulo

bulo uti potuerint, e. g. Propertius in loco, quem ſupra deſcripſi:

*Aut* ſpatia annorum, *& longa intervalla profundi* — Quibus in loquendi formulis ratio habita eſt ſignificationis, quam ultimo loco expoſuimus. Nam ſpatium quidem niſi tempore percurrere non licet. At tempori nihil quicquam commune eſt cum tribus ſpatii dimenſionibus. Sed haec hactenus! Nunc de ſequenti diſticho videamus:

*Perſequar aut ſtudium linguae, Demoſthenis arma,*
*Librorumque tuos, docte Menandre, ſales.*

*Tuos librorum ſales* pro *ſales librorum tuorum* corruptum eſſe, facile Burmanno largior. Quod autem *librorum Menandri* mentionem ineptam & fere puerilem putat, in eo me non habet conſentientem. Nam de Comoediis & alibi dicitur *liber* & *libellus*. Cf. Quintil. I, 10, 18. & Horat. I, Satyr. 10, 40.

*Arguta meretrice potes, Davoque Chremeta*
*Eludente ſenem, comis garrire* libellos,
*Vnus vivorum, Fundani.*

De reliquis non liquet! Verſu 32, emendavit Heinſius, probante Burmanno,

*Lenibunt tacito vulnera noſtra* ſitu.

Sed vereor, ut epitheton *tacitus* ad verbum *ſitus* hoc

hoc ſenſu quadret. *Tacito ſinu* aut cum Paſſeratio explicandum eſt, clanculum, nemine advertente, me diſſimulante, aut cum Broukhuſio ad ſpatia annorum & longa intervalla profundi referendum; quemadmodum, *in intimo ſinu pacis*, dixit Plinius Paneg. 56. *In ſinum philoſophiae confugere* eſt apud Ciceronem. Vocabulum *ſinus* ſaepenumero deſignat locum, ab omni turba vacuum & remotum. Hanc *tacitus* ſinus appellatur. Paulo aliter hanc imaginem expreſſit Simonides in epigrammate, quod egregie illuſtravit Toupius Epiſt. Crit. p. 11. ed. Lipſ.

Στεφάνου παῖ τόδ' ἄγαλμα, Λεώχρατες, εὖτ' ἀνέθηκας
Ἑρμῇ, καλλικόμους οὐκ ἔλαθες χάριτας,
Οὐδ' Ἀκαδημίαν πολυγαθέα, τῆς ἐν ἀγοστῷ
Σὴν εὐεργεσίην τῷ περσιόντι λέγω.

Hoc epigramma, ex mente Toupii ſtatuae baſi inſcriptum fuit, quam Mercurio dedicaverat Leocrates in *ſinu* ſive *loco interiori* Academiae; quod ἐν ἀγοστῷ Ἀκαδημίας, *in ulnis almae matris* vocat poeta.

Lib. II. XIII. 45.

*Nil moveor lacrimis: iſta ſum captus ab arte.*
*Semper* ab inſidiis, *Cynthia, flere ſoles.*

*Ab*

*Ab* insidiis displicuit Burmanno, corrigenti *in* insidiis; hoc sensu, „ quum Cynthia *in insidiis* est, seu mihi insidias struit, & ad lacrymas, feminis semper paratas, confugit, ad quas oculos suos erudiit. nisi *ab insidiis* dixerit, pro, post insidias." Vulgata lectio mihi non videtur sollicitanda. *Ab insidiis* dictum est pro *ex insidiis*, ἐξ ἀπάτης, quomodo Cicero ad Div. XI. 10. a *certo sensu & vero judicare*, dixit pro *ex* certo &c.

Istum vero feminarum ab insidiis flendi morem graphice depinxit Juvenal. Sat. VI. 270.

*Tunc gravis illa viro, tunc orba tigride pejor,*
*Cum simulat gemitus occulti conscia facti,*
*Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat*
*Uberibus semper lacrymis, semperque paratis*
*In statione sua, atque* exspectantibus illam,
Quo jubeat manare modo: tu credis amorem.

Ubi fortasse legendum est v. 474.

*atque exspectantibus*, illa

*Quo jubeat manare modo* ——
Propert. ibidem v. 27.

*Flebo ego discedens, sed fletum injuria vincit:*
*Tu* bene conveniens *non finis ire* jugum.

Allusit poeta ad Graecorum metaphoram, ab equis

equis, pariter in jugo currentibus, ſumptam, ἴσῳ ζυγῷ φιλεῖν. Theocrit. Idyll. XII. 15.

Ἀλλήλους δ' ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ. ἦ ῥα τότ' ἦσαν
χρύσειοι πάλαι ἄνδρες, ὃς ἀντεφίλησ' ὁ φιληθείς.

Ubi Schol. Τὴν ἀλλήλων δὲ φιλίαν ἰσόῤῥοπον εἶχον. ὡς ἐπὶ ζυγοῦ ἰσοστάθμου. Hinc Propert. I. 5, 2. dixit:

*Et ſine nos* curſu, *quo ſumus*, *ire* pares.

Et Cicero Philipp. XI. 2. de Antonio & Dolabella: *hoc* jugum *impiorum nefarium.*

Ibid. 35.

Excluſa inque vicem *faſtus patiere ſuperbos.*
*Et*, *quae feciſti*, *facta* quereris *anus.*

Confer epigramma Aſclepiadis, uti illud emendavit Toup. Emend. in Suid. p. 191. ed. Lipſ.

Νὺξ, σὲ γὰρ οὐκ ἄλλην μαρτύρομαι, οἷα μ' ὑβρίζει
Πυθιὰς ἡ Νικοῦς, οὖσα φίλη, ξ ἀπάτης.
Κληθεὶς, οὐκ ἄκλητος ἐλήλυθα. ταῦτὰ παθοῦσα
Μέμψεαι ἡμετέροις στᾶσα παρὰ προθύροις.

Aliter tamen ultimum verſum legit Brunck. Anal. T. III. p. 44.

Lib.

Lib. IV. II. 11.

*Seu quia vertentis fructum* praecepimus *anni* —

Lectionem *praecepimus* multis exemplis confirmavit Broukhuſius, cum in aliis libris legeretur, *percepimus*. *Praecipere* eſt προλαμβάνειν. Alciphro Lib. II. μῆλα τὰ μελιχρότατα προλαμβάνει τὰς ὥρας, ἵνα μηδεὶς φθάσῃ με γευσάμενος. Alibi *libare* de his fructuum primitiis adhibent Latini. Tibull. I, 1, 7.

*Ed quodcunque mihi pomum novus educat annus*
Libatum *agricolae ponitur ante Deo.*

*Libare* autem proprie eſt, ante guſtare. Hinc Horat. L. II. Serm. 6, 66.

— — — *vernasque procaces*
*Paſco* libatis *dapibus* ——

h. e. dapibus, quas ipſe antea deguſtavi. Vide doctiſſimi *van Ommeren* Quint. Horatius Flaccus p. 83.

Ibid. v. 59. ſqq.

*Stipes acernus eram properanti falce dolatus;*
*Ante Numam grata pauper in urbe Deus.*
*At tibi, Mamuri, formae caelator ahenae;*
*Tellus artifices ne terat Oſca manus:*
*Qui me tam dociles potuiſti fundere in uſus.*
*Unum opus eſt, operi non datur unus honos.*

Con-

Conferendum est cum his versibus Callimachi carmen in *Deam Samiam* apud Eusebium in Praeparat. Evang. lib. III. c. 8, ubi ita legitur:

Οὔπω σκέλμιον ἔργον εἰς ξόανον ἀλλ' ἐπὶ τεθμὸν
Δὴ νεόγλυφον ὦναξ θεᾶς ἧσθα σανίς·
Ὧδε γὰρ καθιδρύοντο θεοὺς τότε. καὶ γὰρ Ἀθήνης
Ἐν Λίνδῳ Δαναὸς λεῖον ἔθηκεν ἕδος.

Operam navare huic carmini misere corrupto fategerunt viri doctissimi Vossius ad Catull. p. 259. Bentl. ad Callim. Fragm. p. 477. & Toupius in Cur. Novissim. ad Suid. p. 219. quorum tamen conjecturae admodum inter se discrepant. Verba primi & secundi versus: εἰς ξόανον θεᾶς, sine dubio ex inscriptionis loco in textum migrarunt. Substituit Bentleji ingenium: εὔξοον. In verbo σκέλμιον artificis nomen latere, primus suspicatus est Wesseling. Probab. c. 34. quem secutus Toupius l. c. legit: Σμίλιδος ἔργον. Reliqua primi distichi verba ita emendavit Bentl.

—— —— —— ἀλλ' ἐπὶ τεθμῷ
Δηναίου γλυφάνῳ ἄξοος ἧσθα σανίς.

posthabita Vossii conjectura, legentis:

—— —— ὦ ἄνα, ἧσθα σανίς.

Quod, inquit Bentl. quam inficetum & prorsus

inauditum sit, non opus est dicere. At bene se res Vossii habet, adfirmantis, verbum ἄναξ de utroque Deorum sexu dici. Vid. Heyn. ad Pindar Pyth. ult. v. 5. & Mitscherl. ad Homeri H in Cerer. p. 133. Fortasse ità quoque cum Joh. Brodaeo explicandus Euripides Troad. 98.

Ἄνα δυσδαίμων, πεδόθεν κεφαλὴν
Ἐπάειρε δέρην ——

Ubi Barnesius contra verbum ἄνα pro ἀνάστηθι positum putat, ut Homer. Il. ζ. 431. Nunc vide, an primum Callimachi distichon ita constituendum sit:

Οὔπω Σμίλιδος ἔργον ἐΰξοον, ἀλλ' ἐπὶ τεθμοῦ
Δηναίου ἄγλυφος ὢ ἄνα ἥδε σανίς.

Ἄγλυφος non elaboratus, properanti falce dolatus, ἀσκέπαρνος Soph. Oed. Col. 101 ubi Schol. ἀσκέπαρνον, ἄγλυφον καὶ ἀπελέκητον, καὶ ἄξυστον, οὐκ εἰργασμένον. Tibull. I. 10. 15.

*Sed patrii servate Lares; aluistis & iidem,*
*Cursarem vestros cum tener ante pedes.*
*Neu pudeat* prisco *vos esse* e stipite *factos;*
*Sic* veteris *sedes incoluistis* avi.
*Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu*
*Stabat in exigua* ligneus *aede* deus.

IV.

IV. III. 50.

*Hanc Venus, ut vivat,* ventilat *ipsa* facem.

*Ventilare facem,* ut δινέυειν φεροπὴν in epigrammate incerti auctoris apud Klotzium, (Strat. Epigrammata, p. 72.)

Τλῆμον Ἔρως οὐ θῆλυν ἐμοὶ πόθον, ἀλλὰ τιν' ἀὴτ
Διηνέυει φεροπὴν κύματος ἀρσενικοῦ.

Ubi legendum: κάυματος ἀρσενικοῦ.

Ibid. v. 59.

*Sive in finitimo gemuit stans noctua* tigno,
*Seu voluit tangi parca lucerna mero.*

Pro *tigno* conjecit Burmannus *tecto*, quod valde arridet. Ubique enim noctuae, striges etc. e tectis, aut in domus culmine canunt. Virgil. Aeneid. IV. 461.

—— *nox quum terras obscura tenebat;*
*Solaque* culminibus *ferali carmine bubo*
*Saepe queri, & longas in fletum ducere voces.*

Aeneid. XII, 863.

*Alitis in parvae subito collecta figuram,*
*Quae quondam in bustis aut* culminibus *desertis*
*Nocte sedens, serum canit importuna per umbras.*

Hinc in Theocrit. Idyll. I. 136,

Κήξ ὀρέων τοι σκῶπες ἀηδόσι γαρύσαιντο,

fortaſſe legendum,

Κήξ ὀρεφῶν τοι σκῶπες —

Tibull. I. V, 52.

*Hanc volitent animae circum ſua fata querentes*
*Semper, & e* tectis *ſtrix violenta canat.*

Adde Ovid. Metam. VI, 430.

*Eumenides tenuere faces de funere raptas:*
*Eumenides ſtravere torum:* tectoque *profanus*
*Incubuit bubo: thalamique* in culmine *ſedit.*

In eodem Theocriti verſu, ut haec obiter addam, pro γαρύσαιντο legendum eſſe, δαρίσαιντο, ingenioſe conjecit Matthiae noſter, Obſervat. Critic p. 43. duce Virgil. Ecl. VIII, 55. *Certent & cycnis ululae.* Quae emendatio mirum in modum confirmatur Epigram. ἀδέσπ. in Anal. Brunck. T. III. p. 250.

Εἰ κύκνῳ δύναται κόρυδος παραπλήσιον ᾄδειν,
Τολμῶεν δ' ἐρίσαι σκῶπες ἀηδονίσιν,
Εἰ κόκκυξ τέττιγος ἐρῆι λιγυρώτερος εἶναι,
Ἴσα ποιεῖν καὶ ἐγὼ Παλλαδίῳ δύναμαι.

IV.

IV. IV. 17.

*Vidit arenoſis Tatium proludere campis,*
*Pictaque* per flavas *arma* levare jubas.

Eurip. Hip. vs. 219.

Πρὸς θεᾶν, ἔφαμαι κυσὶ θωύξαι,
Καὶ παρὰ χαίταν ξανθὰν ῥίψαι
Θεσσαλὸν ὄρπακα,
Επίλογχον ἔχουσ' ἐν χειρὶ βέλος.

Ibid. vs. 29.

*Ignes caſtrorum, & Tatiae praetoria turmae,*
*Et* formoſa oculis *arma Sabina* meis.

Hinc fulcrum accipit antiqua lectio III. 23, 1.

*Falſa eſt iſta tuae, mulier, fiducia formae,*
*Olim* oculis *nimium facta ſuperba* meis,

ubi legendum putat Burmannus; *oculis nimium facta ſuperba tuis.* non *meis.* ſuos enim oculos laudare, Propertio putidum eſſet. ſed Cynthiae oculis jam olim ſe captum & paſſim, & ſtatim ab initio fatetur, L. I. El. I. „ Male! Neque enim *oculos* hic laudare voluit poeta, ſed *oculorum* officium perſtringere. Quare vs. 5, haec addit:

*Mixtam te varia laudavi ſaepe figura,*
*Ut, quod non eſſes, eſſe putaret amor.*
*Et color eſt totics roſeo collatus Eoo,*
*Quum tibi quaeſitus candor in ore foret.*

Schraderi quoque ſatis ingenioſa conjectura, qua legit:

*Olim* elegis *nimium facta ſuperba meis,*

labefactari videtur verſu ſupra memorato:

*Et* formoſa oculis *arma Sabina* meis.

IV. XI, 14.

*En ſum quod digitis quinque levatur* onus.

Ita Sophocl. Elect. 1129.

Νῦν μὲν γὰρ οὐδὲν ὄντα βαστάζω χερῶν.

Et vs. 1141.

Ἀλλ' ἐν ξένῃσι χερσὶ κηδευθεὶς τάλας,
Σμικρὸς πρόσκεις ὄγκος ἐν σμικρῷ κύτει.

Ibid. vs. 35.

*Jungor, Paulle, tuo* ſic *diſceſſura, cubili.*

Pro *ſic* codex Regius exhibet, teſte Burmanno, *cum*, cod. Vallier. uno verbo, *condiſceſſura*, habet.

bet. Quod ſuſpicionem movet, ſcriptum fuiſſe a Propertio:

*Jungor, Paulle, tuo,* non *diſceſſura, cubili.*

Certe illud *ſic* longius petitum, & hoc loco argutius dictum videtur. Ceterum hujus conjecturae, ut reliquarum omnium, quibus dubias aut plane vitioſas lectiones e Propertii carminibus exturbare ſtudui, penes Te judicium eſto, Vir Eruditiſſime, quem optime de hoc poeta, diligenter tractato, meritum teſtatur Burmanni Editio, & quae illi annexae ſunt animadverſiones Tuae. Inprimis autem probari Tibi cupio, quae de ſermonis poetici indole graeca a me diſputata ſunt. Hanc enim interpretationis partem, qua, propter novitatis gratiam, valde me delectari profiteor, hucuſque nimis ab Editoribus neglectam eſſe non ignoras, eamque ſaepenumero cauſam fuiſſe, cur multa poetae loca non intelligerent, atque adeo emendare conarentur. Idem vel Burmanno interdum accidiſſe, apparere ex iis puto, quae ſupra de novis loquendi formulis, *percutere lyrae carmen*, *tondere regna paterna*, & aliis dicta ſunt. Addere his liceat, quod ſuo loco praetermiſimus, exemplum L. III, VI, 11.

*Quae mulier rabida jactat convicia lingua*
*Et Veneris magnae* volvitur *ante pedes*,

ubi Paſſeratius, teſtante Dempſtero III, de Etrur.

Reg. c. 6, correxit, *vertitur ante pedes*, quod tamen Burmannus, praeeunte Broukhusio, refutare haud dubitavit. *Volvi ante pedes* nove dictum ut προπροκυλίνδεσθαι ap. Homer. XXII, 220.

Οὐδ' εἴ κεν μάλα πολλὰ πάθοι ἑκάεργος Ἀπόλλων,
Προπροκυλινδόμενος πατρὸς Διὸς αἰγιόχοιο.

quod invenit verbum Homerus, δέησιν ἐνδείξασθαι βουλόμενος πολλὴν καὶ κατεσπουδασμένην, ut verbis utar Dionys. Halicarn περὶ συνθέσεως, 8. 15. vid. Clark. l. c. coll. Odyss. XVII, 525. Atque hoc imitandi studium, Propertio cum reliquis fere poetis latinis commune, ab ipsis poeseos Romanae incunabulis repetendum esse constat. Cum enim alias apud gentes ita vulgo evenerit, ut, non arte, sed natura duce, sibi poesin aliquam fingerent, primique adeo poetae linguae quoque rudis atque incultae artifices evaderent, quae deinde, cognitis aliorum populorum literis, magis elaborari coepit; Romani contra serius poeticam acceperunt & non nisi Graecorum exemplo excitati esse videntur, ut versus facerent. Quem quidem poeseos apud Romanos progressum ita bene delineavit Cicero, Tusc. Quaest. I, 1. *Cum apud Graecos antiquissimum sit e doctis genus poetarum, si quidem Homerus fuit, & Hesiodus ante Romam conditam, Archilochus regnante Romulo; serius poeticam nos accepimus: annis enim fere DX post Romam condi-*

*tam*

*tam Livius fabulam dedit, C. Claudio, Caeci filio, M. Tuditano, consulibus, anno ante natum Ennium: qui fuit major natu, quam Plautus & Naevius. Sero igitur a nostris poetae vel cogniti, vel recepti*, &c. — *At contra oratorem* (c. 3) *celeriter complexi sumus: nec eum primo eruditum, aptum tamen ad dicendum: post autem eruditum.* — Neque vero aliud quicquam fecerunt antiquissimi poetae, nisi ut carmina graeca latine converterent, inque eo solummodo operam collocarent, ut poeticum aliquem sermonem, qui vim graecae linguae assequeretur, constituerent; donec procedente tempore, cum jam philosophia, a Cicerone inprimis excitata & illustrata, facem praetulisset, non interpretum munere fungi, sed liberiore imitatione cum Graecis contendere aggressi sunt Romani, saeculi praesertim Augustei, scriptores. Hi Alexandrinos potissimum poetas ad imitandum sibi elegerunt, quorum jam Ciceronis aetate tanta fuit inter Romanos celebritas, ut *Ennius ab his Euphorionis cantoribus contemneretur.* Tusc. Quaest. III, 19. Cujus rei cum variae afferri possunt causae, tum haec praecipua mihi videtur, quod, Ptolemaei Physconis crudelitate Alexandria expulsi Graeci (v. Athen. IV. extr. citatus Hynio Opusc. Acad. I, p. 87.) postquam in insulas & Graeciam, unde pedem tulerant, recepti erant, erudiendae juventuti propter paupertatem operam dederunt; unde profecti postea aut ipsi, aut qui e schola eorum prodierant, Romam,

cum ibi quoque juventutis cura ipſis demandaretur, facile efficere potuerunt, ut Alexandrinorum inprimis poetarum ſcripta inter Romanos celebrarentur. Athenaeus quidem l. c difertis verbis tradit: Οὗτος γὰρ (Pt. Phyſcon) πολλοὺς τῶν Ἀλεξανδρέων ἀποσφάξας, οὐκ ὀλίγους δὲ καὶ φυγαδεύσας τῶν κατὰ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ἐφηβησάντων, ἐποίησε πλήρεις τάς τε νήσους καὶ πόλεις ἀνδρῶν γραμματικῶν, φιλοσόφων, γεωμετρῶν, μουσικῶν, ζωγράφων, παιδοτρίβων τε καὶ ἰατρῶν, καὶ ἄλλων πολλῶν τεχνιτῶν, οἳ διὰ τὸ πένεσθαι διδάσκοντες, ἃ ἠπίσταντο, πολλοὺς κατεσκεύασαν ἄνδρας ἐλλογίμους. Juvenalis vero Sat. III, 69. ſuae ſaltem aetatis *Graeculos*, Romae degentes, ejuſmodi verbis ſugillat, ut facile Alexandrinos, aut eorum polymathia imbutos homines deſignari, tibi perſuadeas:

*Hic alta Sicyone, aſt hic Amydone relicta,*
*Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus, aut Alabandis,*
*Eſquilias, dictumque petunt a vimine collem;*
*Viſcera magnarum domuum, dominique futuri.*
*Ingenium velox, audacia perdita, ſermo*
*Promptus, & Iſaeo torrentior; ede quid illum*
*Eſſe putes? quemvis hominem ſecum attulit ad nos;*
*Grammaticus, Rhetor, Geometres, Pictor, Aliptes,*
*Augur, Schoenobates, Medicus, Magus, omnia novit*
Graeculus eſuriens; *in coelum, juſſeris, ibit.*

Haec

Haec habui, quae de Propertio, ejusque Graecos imitandi arte, nunc ad Te perſcriberem. Quibus plura addere propoſitum mihi eſt in ipſo Petri Fonteinii libello critico, qui in ordinem a me redactus & animadverſionibus meis auctus ut propediem in lucem emittatur, curabo. Neque enim neſcius es, varia in iſta Obſervationum farragine reperiri, quae inchoata tantum, neque ad finem ab auctore perducta ſunt; quemadmodum vel in iſto egregio doctrinae ſpecimine, quod ſupra peculiariter expoſui, aliquoties de Ciceronis locis, *poſtea memorandis*, loquitur, quae tamen in ipſa diſputatione non comparent. Habuit autem in animo, niſi fallor, ea loca, quae in commentario meo citantur.

Succedat nunc Propertio Catullus, cujus novam a Te parari editionem juxta ego cum omnibus iis, quibus hae humanitatis lıterae curae ſunt cordique, laetor. Quot enim quantisque adminiculis inſtructus ad hunc poetam expoliendum acceſſeris, ſatis ſuperque teſtatur futurae editionis ſpecimen, *Elegia ad Manlium*, de qua pauca ſunt, quae Tecum communicem. vs. 53,

*Cum tantum arderem, quantum Trinacria rupes,*
*Lymphaque in Oetaeis Malia Thermopylis;*
Moeſta *neque* aſſiduo tabeſcere lumina fletu
*Ceſſarent, triſtique imbre madere genae:*

*Tabeſcere* i. q. abſumi, κατατήκεσθαι. Tabeſcunt lu-

lumina fletu, ut nix ſolis calore liqueſcit. Hinc metaphora ducta eſt. Ὄψις γάρ ἐστι χιόνος ἀναλισκομένης ἡ τηκεδών, ut obſervat Hermogenes ap. Clark. ad Homer. Odyſſ. XIX, 204,

Τῆς δ' ἄρ' ἀκουούσης ῥέε δάκρυα, τήκετο δὲ χρώς
Ὡς δὲ χιὼν κατατήκετ' ἐν ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν,
Ἣν τ' Εὖρος κατέτηξεν, ἐπὴν Ζέφυρος καταχέυσι
Τηκομένης δ' ἄρα τῆς ποταμοὶ πλήθουσι ῥέοντες
Ὡς τῆς τήκετο καλὰ παρήϊα δακρυχεούσης,
Κλαιούσης ἑὸν ἄνδρα παρήμενον.

Idem fere verſus, leviter modo variatus, recurrit Epith. Pel. & Thet. vs. 242.

*At pater, ut ſumma proſpectum ex arce petebat,*
Anxia in aſſiduos abſumens lumina fletus,

ubi Mitſcherl. in Lect. in Catull. p. 109, cum nonnullae edit. veteres pro *abſumens* offerant, *contollens*, antiquam lectionem fuiſſe ſuſpicatur:

*Anxia in aſſiduos* contollens *lumina* fluctus,

quod nullo modo fieri poteſt. Proſpicientem in mare patrem jam antecedens verſus exhibuerat. Quantam praetera haec mutatio tolleret imaginis ſuavitatem! Ita quoque Ulyſſes Odyſſ. V, 156,

Ἥμα-

Digitized by Google

Ἥματα δ' ἐν πέτρῃσι καὶ ἠιόνεσσι καθίζων
Δάκρυσι καὶ στοναχῇσι καὶ ἄλγεσι θυμὸν ἐέργων,
Πόντον ἐπ' ἀτρύγετον δερκέσκετο, δάκρυα λείβων.

Vide, an hinc confirmari possit conjectura Gesneri ad Claud. XXXVI, 159.

*Nec deflet plangitve malum: tamen oscula telae*
*Figit, &* abrumpit *mutas in fila querelas.*

Ad quem locum haec adnotavit vir doctissimus; *Mutas querelas abrumpit* significat, subito desinit; sed hoc repugnat consilio poetae, cui forte melius conveniat *absumit*, impendit, consumit in fila a filia tractata, gemitus & tacitas querelas." Recte! Absumere in fila, ut ἀναλίσκειν εἰς, dictum. Vid. Burm. ad Prop. IV, 6, 55.

*Dixerat, & pharetrae pondus* consumit in *arcus.*

Ibid. vs. 57.

*Qualis in aërii pellucens vertice montis*
*Rivus, muscoso prosilit e lapide;*
*Qui cum de* prona *praeceps est* valle *volutus,*
*Per medium* densi *transit iter* populi,
*Dulce viatori lasso in sudore levamen,*
*Cum gravis exustos aestus hiulcat agros.*

Miror, interpretes sicco pede, quod ajunt, transiisse verba *densi populi*, cujus in hac fontis descriptione

tione facta mentio ridicula, ne dicam abſurda eſt. Quid enim? Nonne viator, cui rivus iſte levamini eſt, de ſolitudine potius, quam de hominum frequentia cogitare nos jubet? Neque ego adſentior Perrejo, qui *iter* explicabat, viam communem ac publicam, atque adeo *iter populi* conſtruebat, cum contra verborum ſtructura haec eſſe debeat, rivus *per medium denſi populi* tranſit iter ſuum. Ita Latini loqui ſolent. *Ire iter* eſt apud Auctorem Bell. Afric. 6 & 75. *Ire vias* Prop. I, 1, 17.

*In me tardus Amor non ullas cogitat artes,*
*Nec meminit notas, ut prius,* ire vias.

*Iter* fluviis quoque tribuit Virgil. Aen. XII, 523.

*Aut ubi decurſu rapido de montibus altis*
*Dant ſonitum ſpumoſi amnes, & in aequora currunt*
*Quiſque ſuum populatus* iter ——

Sed plura ſunt in elegantiſſima hac lacrimarum cum rivulo comparatione, diligentius examinanda, antequam in rem praeſentem veniamus. *Pronam vallem* interpretes vulgo accipiunt pro ipſa ad pedem aërii montis planitie, qua rivus iſte, magni fluvii latitudinem jam nactus, praecipiti devolvatur curſu. At qui vix in vertice montis muſcoſo e lapide proſiluerat rivulus, num ille ſequenti verſu totam iſtam altitudi-

dinem ſuperaſſe, & prona valle devolvi commode dici poterit, nulla omnino viae peractae commemoratione facta? Ne dicam, rapidi & ſpumoſi amnis imaginem parum convenire cum oculis, aſſiduo fletu tabeſcentibus. Quam difficultatem Tu ipſe ſenſiſſe videris, cum corrigendum putaveris, *prono colle*. Sed vereor, ut hic verſus emendatione indigeat. *Vallem* in monte capio pro loco depreſſo, unde aqua *collecta* majori deinde vi *per ſcopulos* agitur. Aganippes quoque in Helicone valles commemorat Juvenal. VII, 6.

— — *cum deſertis* Aganippes
Vallibus *eſuriens migraret in atria Clio.*

Videtur autem hoc verbum adhiberi a latinis ſcriptoribus pro quovis loco, aequaliter declivi. Hinc prona, alta, praerupta vallis appellatur ſubinde. Catull. c. 68, 5. tropice:

*Laedit te quaedam mala fabula, qua tibi fertur*
Valle ſub alarum *trux habitare caper.*

Claud. 28, 50.

*Deſpiciturque vagus* praerupta valle Metaurus,
*Qua mons arte patens vivo ſe perforat arcu* —

Quae cum ita ſint, locum ita legendum arbitror:

*Qui cum de prona praeceps eſt valle volutus,*
*Per medium denſi tranſit iter* SCOPULI.

Huic

Huic emendationi favere videtur ipse Homeri locus, a Te citatus, Iliad. XVI, 3,

Πάτροκλος δ' Ἀχιλῆϊ παρίστατο, ποιμένι λαῶν;
Δάκρυα θερμὰ χέων, ὥστε κρήνη μελάνυδρος,
Ἥτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δυσαφιὸν χέει ὕδωρ.

*Denſus* ſcopulus eſt arbore opertus. Tibull. IV, III, 7.

*Quis furor eſt, quae mens*, denſos *indagine* colles
*Claudentem, teneras laedere velle manus?*

Eandem vim habent apud Graecos verba πυκνὸς, δασὺς, e. g. Xenoph. Cyrop. II, 4, 17. φασὶ μὲν οὖν, καὶ δασέα ταῦτα τὰ ὄρη εἶναι.

Ibid. vs. 91,

Quaene etiam *id noſtro letum miſerabile fratri*
*Attulit! hei miſero frater adempte mihi!*

Ita hunc verſum, uno Cacciae Codice niſus, ſed *voluntate nondum ſatis exacta*, inchoaſti. Neque mihi haec lectio, licet in tanta varietate, quoad ſenſum, optima, omnino probatur. Igitur, ut varia orationis membra melius cohaereant, lego:

*Nam tum Helenae raptu primores Argivorum*
*Coeperat ad ſeſe Troja ciere viros;*

*Tro-*

*Troja (nefas!) commune ſepulcrum Aſiae Europaeque*
*Troja virûm, & virtutum omnium acerba cinis;*
Quin etiam *id noſtro letum miſerabile fratri*
*Attulit! hei miſero frater ademte mihi!*

Locutio iſta, *quin etiam*, a Propertio praecipue in initio verſuum frequentatur. L. II, 7, 59.

Quin etiam *multo duxiſti pocula riſu.*

Et II, 12, 19.

Quin etiam, *ſi me ulterius provexerit ira,*
*Oſtendes matri brachia laeſa tuae.*

Simile orationis, magnae cladis memoria, interceptae exemplum, occurrit apud eundem I, 22.

*Si Peruſina tibi patriae ſunt nota ſepultae*
*Italiae duris funera temporibus,*
*Quum Romana ſuos egit diſcordia cives:*
*(Sis mihi praecipue pulvis Etruſca dolor.*
*Tu projecta mei perpeſſa es membra propinqui,*
*Tu nullo miſeri contegis oſſa ſolo:)*
*Proxima ſuppoſito contingens Umbria campo*
*Me genuit, terris fertilis uberibus.*

Sed vide inprimis Noſtri Carmen ad Hortalum, ubi eadem res eodem fere modo narratur. Pergit Catull. vs. 97.

*Quem nunc tam longe non inter nota ſepulcra*
*Nec prope cognatos compoſitum cineres,*
*Sed Troja obſcenâ, Troja infelice ſepultum*
*Detinet extremo terra aliena ſolo.*

Illuſtratur hic locus verbis Electrae Sophocl. vs. 1131.

Ὡς ὤφελον πάροιθεν ἐκλιπεῖν βίον,
Πρὶν ἐς ξένην σε γαῖαν ἐκπέμψαι, χερσῖν
Κλέψασα ταῖνδε, κἀνασώσασθαι φόνου,
Ὅπως θανὼν ἔκεισο τῇ τόθ' ἡμέρᾳ,
Τύμβου πατρῴου κοινὸν εἰληχὼς μέρος.
Νῦν δ' ἐκτὸς ὄικων, καὶπὶ γῆς ἄλλης φυγὰς,
Κακῶς ἀπώλου, σῆς κασιγνήτης δίχα.

In iis Catulli carminibus, quae codicum Tuorum opem maxime deſiderare videntur, principem locum obtinet Epithalamium Pelei & Thetidos, quod licet noſtra aetate diligentius a viris doctis ſit tractatum, neutiquam tamen ita adhuc perpolitum eſt, ut nihil omnino induſtriae Tuae reliquerit priorum interpretum induſtria. Verſ. 12, ſeqq.

*Quae ſimulac roſtro ventoſum proſcidit aequor,*
*Tortaque remigio ſpumis incanduit unda,*
*Emerſere* feri *candenti e gurgite* vultus
*Aequoreae* monſtrum *Nereides admirantes.*

*Mon-*

*Monſtrum* de bellua marina, non ante cognita, in genere dictum, ut Horat. I, 3, 17.

*Quem mortis timuit gradum*
*Qui ſiccis oculis* monſtra natantia
*Qui vidit mare turgidum &*
*Infames ſcopulos Acroceraunia?*

Propertius *portenta* appellat ejusmodi monſtra III, 21, 27.

*At non ſquamoſo labuntur ventre ceraſtae,*
*Itala* portentis *nec furit unda* novis.

Ad illuſtrandum Catulli locum faciunt verba Ciceronis, de N. Deorum II, 35, & quod ibi deſcripſit, fragmentum Attii: „ Atqui ille apud Attium paſtor, qui navem numquam ante vidiſſet, ut procul divinum & novum vehiculum Argonautarum e monte conſpexit, primo admirans & perterrirus, hoc modo loquitur:

—— *tanta moles labitur*
*Fremebunda ex alto, ingenti ſonitu, ſpiritu:*
*Prae ſe undas volvit: vortices vi ſuſcitat,*
*Ruit prolapſa: pelagus reſpergit: profluit.*
*Ita dum interruptum credas nimbum volvier,*
*Dum quod ſublime ventis expuiſum rapi*
*Saxum, aut procellis, vel globoſos turbines*
*Exſiſtere ictos undis concurſantibus:*

*Ipſi quas terreſtres Pontus ſtrages conciet:*
*Aut forte Tritum fuſcina everſens ſpecus,*
*Subter radices penitus undanti in freto*
*Molem ex profundo ſaxeam ad caelum eruit.*

Dubitat primo, quae ſit ea natura, quam cernit ignotam: idemque juvenibus viſis, auditoque nautico cantu,

*Sicut inciti, atque alacres roſtris perfremunt*
Delphini."

At primo loco commemorandus mihi erat Apoll. Rhod. IV, 315. de eadem re:

Οἱ δ' ὑψοῦ νήσοιο κατ' ἀκρωτάτης ἐτέτυντο
Τήλιθεν. ἐλαμψῆσι δ' ἐν ἀσπετα πώεα λεῖπον
Παμένες ἄγραυλοι, πᾶν φῦλον, οἵά τε θῆρες
Ὀσσόμενοι πόντου μεγακήτεος ἐξαπίνας.

Haec fere ſunt, que jam alibi (in Act. Litter. Jenens. 1787.) de hoc loco diſputavimus, ubi ſimul Voſſii, verba *feri vultus* ad *monſtrum* trahentis, rationem aliorum interpretum commentis praeferendam duximus, quod miratus eſt Doeringius, nobis amiciſſimus! Ipſe, „*feri vultus*, eſſe, ait, caſum ſecundum & pendere a *Nereides*, h. e. *Nereides fero vultu jam praeditae vel indutae.*" Quidni igitur *monſtrum feri vultus* ſit, monſtrum fero vultu praeditum vel indutum?

Ju-

Judicent alii! Laetor autem, virum doctiſſimum de integritate loci mecum ſentire.

Ibid. vs. 85.

*Hunc ſimulac cupido conſpexit lumine virgo*
*Regia, quam ſuaves exſpirans caſtus odores*
*Lectulus in molli complexu matris* alebat:
*Quales Eurotae progignunt flumina myrtos,*
*Aurave diſtinctos educit verna colores.*

Homer. Iliad. XVIII, 436.

Υἱὸν ἐπεί μοι δῶκε γενέσθαι τε, τραφέμεν τε,
Ἔξοχον ἡρώων, ὁ δ' ἀνέδραμεν ἔργεϊ ἶσος.
Τὸν μὲν ἐγὼ θρέψασα, φυτὸν ὡς γουνῷ ἀλωῆς,
Νηυσὶν ἐπιπροέηκα ——

Quem locum imitatus eſt Theocrit. 24, 101.

Ἡρακλέης δ' ὑπὸ ματρὶ, νέον φυτὸν ὡς ἐν ἀλωᾷ
Ἐτρέφετ'.

Ib. vs. 184.

*Praeterea litus, nullo* ſola inſula *tecto.*

Haec eſt Corradini lectio, quam in textum quoque recepit Doeringius. Alii aliter! Nos locum a verſu 181, ita legimus.

*Conjugis an fido consoler memet amore,*
*Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?*
*Praeterea litus, nullo solamina tecto:*
*Nec patet egressus, pelagi cingentibus undis.*

Verbum *insula* gloſſam ſapit. Fieri etiam potuit, ut deletis ultimis in *solamina* litteris, librarius reſtitueret, *sola insula*, cujus memoria animum oſcitantis primo loco tangere debuit. *Nullo solamina tecto*, quemadmodum Philoctetes apud Sophoclem, αὐλὲς ἦν πρόσουρος h. e. *sibi ipse erat vicinus*, ut Brunckius V. Cl. explicat. Totus locus, qui cum noſtro comparetur, dignus; vs. 688.

Πῶς ποτε, πῶς ποτ' ἀμφιπλήκτων
Ῥοθίων μόνος κλύων, πῶς
Ἄρα παυδάκρυτον οὕτω βιοτὰν κατέσχεν,
Ἴν' αὐτὸς ἦν πρόσουρος, οὐκ ἔχων βάσιν,
Οὐδέ τιν' ἐγχώρων κακογείτονα,
Παρ' ᾧ στόνον ἀντίτυπον
Βαρυβρῶτ' ἀποκλαύσειεν —

Ita Catullus vs. 167.

*Ille autem prope jam mediis versatur in undis,*
*Nec quisquam apparet vacua mortalis in alga.*
*Sic nimis insultans extremo tempore saeva*
*Fors etiam nostris invidit questibus aures.*

Ovid.

Ovid. L. IX. Metamorph.

*Saepe etiam Nymphae teneris Lelegeides ulnis*
*Tollere conantur: ſaepe, ut moderetur amori*
*Praecipiunt; ſurdaeque adhibent ſolatia menti.*

Litoris ſolitudinem ſimiliter deſcribit Theocrit. Piscat. vs. 17.

Οὐδεὶς δ' ἐν μέσσῳ γείτων, παντᾶ δὲ παρ' αὐτὴν
Θλιβομέναν καλύβαν τυφεῳὸν προσέναχε θάλασσα.

Ibid. vs. 370.

*Hic qualis flatu placidum mare matutino*
*Horrificans Zephyrus proclivas incitat undas*
*Aurora exoriente, vagi ſub lumina ſolis;*
*Quae tarde primum clementi flamine pulſae*
*Procedunt, leni reſonant plangore cachinni:*
*Poſt, vento creſcente, magis increbeſcunt;*
*Purpureaque procul nantes a luce refulgent.*

Hom. Iliad. XIV, 16.

Ὡς δ' ὅτε πορφύρῃ πέλαγος μέγα κύματι κωφῷ,
Ὀσσόμενον λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα
Αὔτως, οὐδ' ἄρα τε προκυλίνδεται οὐδετέρωσε,
Πρίν τινα κεκριμένον καταβήμεναι ἐκ Διὸς οὖρον.
Ὡς ὁ γέρων ὤρμαινε —

Ibid. vs. 383.

*Talia* praefantes *quondam, felicia Pelei*
*Carmina divino cecinerunt omine Parcae.*

Pro *praefantes* repoſuit Doeringius *profantes;* nam *profari* non *praefari* eſt praedicere, vaticinari, ut egregie docuerunt J. F. Gronovius & Drackenborch. ad Liv. XXII. 1. Tom. III. p. 520." At prima in *profari*, ſi recte memini, ſemper apud poetas corripitur. Virgil Aen. IV. 364.

— — — *& ſic adcenſa* profatur.

coll. I, 561. Quare aut vulgata retinenda eſt, aut alia huic loco medicina adhibenda. Ea vero, ſi neceſſaria videatur, Catullo parabitur a Te, amiciſſime Santeni, qui & egregia polles judicandi facultate, & tanto codicum Mſſ. numero inſtructus es, ut verae lectionis veſtigia facile deprehendere poſſis. Ac de hoc quidem poeta ſalvam omnino rem eſſe, laetor. Aliquam carminum partem comentario ſuo bene jam illuſtravit Doeringius noſter, reliquam mox eodem modo illuſtraturus; cui ſi acceſſerit ſtudium Tuum, quod in re critica inprimis verſabitur, nihil erit, quod amplius deſideremus. Igitur, ne longius nobis invideas editionem Tuam, publico nomine a Te petimus.

Re-

Digitized by Google

Reliquae mihi ſunt aliquot in *Tibullum* animadverſiones. L. I, 2, 89.

*Vidi ego, qui* juvenum *miſeros* luſiſſet *amores*,
*Poſt Veneris vinclis ſubdere colla ſenem.*
*Et ſibi blanditias tremula componere voce,*
*Et manibus canas fingere velle comas.*
Stare nec ante fores puduit ——

Verſus 89, varie a viris doctis tentatus eſt. Vulgatam tamen lectionem, cum omnium fere librorum auctoritate nitatur, unice veram judicat Heynius V. Ill. Idem τὸ *luſiſſet* explicat, *ludibrio habuiſſet amores, quibus juvenes in puellas feruntur;* non ſatis recte, Te judice, Bibl. Crit. V. I. P. III. p. 69, ubi mones: ludit amores juvenum, qui juvenes eludit, fallitque ſe amantes. At *ludere* pro *ridere, irridere* eſt etiam apud Cicer. ad Div. VII, 5. *De qua tibi homine haec ſpondeo non illo vetere verbo meo, quod, cum ad te de Milone ſcripſiſſem, jure* luſiſti. Idem de Orat. I, 12. *Haec autem oratio, ſi res non ſubeſt ab oratore percepta & cognita, aut nulla ſit neceſſe eſt, aut omnium* irriſione ludatur. Ibidem hoc diſtichon ita conſtituendum putas:

*Vidi ego, qui* juvenis miſeros riſiſſet *amantes*,
*Poſt Veneris vinclis ſubdere colla ſenem.*

Mihi in Heyniana lectione acquiscendum videtur. Nam ob oculos habuit, nisi omnia me fallunt, Tibullus Meleagri epigramma XXXVI. Brunck. Anal. I, p. 12.

Ηγεύθην καὶ πρόσθεν ἐγὼ ποτε τοῖς δυσέρωσι
Κώμοις ἠιθέων πολλάκις ἐγγελάσας,
Καί μ' ἐπὶ σοῖς ὁ πτανὸς Ερως προθύροισι, Μυίσκε,
Στῆσεν ἐπιγράψας. Σκῦλ' ἀπὸ σωφροσύνης.

*Iuvenum miseri amores* plane respondent τοῖς δυσέρωσι κώμοις ἠιθέων; *Stare nec ante fores puduit*, καί μ' ἐπὶ σοῖς ὁ πτανὸς Ερως προθύροισι ϛῆσεν. Alciphron Epist. I, 13. καὶ ὁ ποτὲ γελῶν τοὺς ἐκ τρυφῆς πάθει δουλεύοντας, ὅλος εἰμι τοῦ πάθους.

L. I. IV, 37.

*Solis aeterna est Phoebo Bacchoque juventus:*
Nam decet *intonsus crinis utrumque deum.*

Pentameter causam reddit, cur Phoebo & Baccho aeterna sit juventus, nempe intonsum crinem. Quod quo sensu Tibullus dixerit, sane non apparet. Restituit Brouckhusius: *Tam decet*, quod refutavit Heynius, qui tentat: *Et decet*, aut *En decet*. Vulgata bene se habere videtur, licet veram ejus explicatio-

tionem adferre non possim. Simili fere ratione dixit Apoll. Rhod. II. 708, de Apolline:

Ἰλήκοις· ἀιεί τοι, ἄναξ, ἄτμητοι ἔθειραι,
Ἀιὲν ἀδήλητοι· τώς γὰρ θέμις.

Quod ita imitatus est Tibull. II, 5, 121.

*Adnue; sic tibi sint intonsi, Phoebe, capilli,*
*Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.*

L. I, IX, 3.

*Nec tibi celandi spes sit peccare paranti.*
*Est deus, occultos qui vetat esse dolos.*
*Ipse deus tacito permisit* lena *ministro*
*Ederet ut multo libera verba mero.*

Ad versum 25 Heynius: „ Ita reponere, inquit, aliquot quidem libris addicentibus, ausi sumus, cum ea lectio, *si vel minus vera*, tamen tolerabilior sit, quam illa a Scaligero, e conjectura, reposita." Reposuit nimirum Scaliger, *tacito permisit* vela *ministro*, quae inusitata loquendi ratio merito rejecta est a doctissimo Interprete. In plerisque Codicibus mira varietate legitur, *leva*, *leve*, *lene*, *lena*, *seva*, *saepe*. Unde nos olim hanc lectionem eruimus:

*Ipse deus tacito permisit* FRENA *ministro,*
*Ederet ut multo libera verba mero.*

Deus

Deus igitur h. l. poſſit eſſe Bacchus, qui *permittit* aut ſolvit, *frena* linguae, ubi vinum largius hauſtum eſt. Hinc Bacchus Λύσιος & Λυαῖος vocatur, teſte Plutarch. Sympoſ. I, 3. p. 613. ed. Xyl. ἐι δὲ πάντων ὁ Διόνυσος Λύσιός ἐστι καὶ Λύδιος (l. Λυαῖος) μάλιστα γὰρ τῆς γλώττης ἀφαιρεῖται τὰ χαλινὰ, καὶ πλεῖστην ἐλευθερίαν τῇ φωνῇ δίδωσιν, ἀβέλτερον οἶμαι καὶ ἀνόητον, ἐν λόγοις πλεονάζοντα καιρὸν ἀποστερεῖν τῶν ἀρίστων λόγων. Eurip. Bacch. vs. 385.

Ἀχαλίνων στομάτων,
Ἀνόμου τ' ἀφροσύνας
Τὸ τέλος δυστυχία.

Neque deſunt exempla Latinorum de *freno linguae*. Claudian. 28. 266.

*Ergo ubi praecluſae voci laxata* remiſit
Frena *dolor*, *notas oculis humentibus Alpes*
*Adſpicit* ——

Idem 36. 179.

*Hanc egreſſa Ceres*, *poſtquam ſuſpiria tandem*
Laxavit frenoſque *dolor*, *quod cernimus*, *inquit*,
*Excidium* ——

Per-

Digitized by Google

108

Deu
aut
est.

Plut
πάν
μάλ
καὶ
τεg
καμ
vs.

N
Cl

Id.

Digitized by Google

Digitized by Google